E 4/13

6
31-d

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
14 A
27

[Bib]liotheca
[C]oll. Rom.
Societ. Jesu
20-2-32

20.1.5.5

Digitized by Google

Digitized by Google

POESIS LYRICA

NICOLAI AVANCINI

è SOCIETATE JESV,

Qua continentur

LYRICORUM LIBRI IV.

ET

EPODON LIBER UNUS.

VIENNÆ AVSTRIÆ,

BIBLIOTECA N
ROMA
Digitized by Google

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO
ROMANORUM
IMPERATORI
LEOPOLDO,
VNGARIÆ
BOHEMIÆQUE
REGI,
ARCHIDUCI
AUSTRIÆ, &c.
PRINCIPI ac DOMINO
Clementiſſimo.

VEnerabunda ad SACRATISSIMÆ MAJESTATIS VE-

nunquam illam reſumptura; niſi novo calore aliquo in MAJESTATIS VESTRÆ gloriam & triumphos entheetur. Fregeram enimvero barbitum, cum horum Lyricorum librum tertium abſolverem, ſtatueramque etiam amicorum precibus rogatus, nunquam reſumere. Sed ubi in MAJESTATIS VESTRÆ verticem novæ ac ſupremæ *Imperii Romano-Germanici coronæ* confluxerunt; ſenſi novas mihi circûm tempora lauros ſerpere, lyramque & plectrum adtinnire, ac ſponte in manus

nus ſeſe inſinuare. Non potui temperare calori, quin & librum quartum adjicerem, qui totus in MAJESTATIS VESTRÆ gloria occupatur. Expertus non invitum Apollinem in tam *Auguſta* materia, quam orbis olim, ac meliora Vatum ingenia invidere poſſint; ibi rurſus teſtudinem meam inclino, unde experimento didicit, ſe reſurgere poſſe vivaciorem. Scio, quod MAJESTAS VESTRA & reportatis per bella triumphis, & ſtabilitâ *Imperii* pace, & *Optimi Principis* comparatâ

gloriâ, ſæculorum Poëtas in ſui nominis laudes invitabit; quibus ademptâ fingendi licentiâ in Heroicæ virtutis commendatione venam omnem exſiccabit. At hoc felicitatis meæ pars magna fuerit; quòd ubi MAJESTAS VESTRA Imperii diademate coronata, in hanc *Vrbem Viennenſem*, in hoc, inquam, Orbis compendium primùm advenit, in publica omnium artium ad inſtruendos CÆSAREA MAJESTATE dignos apparatus concertatione, meam quoque Thaliam clementiſſimo

tiſſimo afflatu reſuſcitaverit; quam & in *Sacratiſſimas manus* ſub *Imperii Romano-Germanici* nomine admiſit, & cothurnum etiam indutam *Auſtriaca* benignitate ſpectavit. Hinc, quidquid *Majeſtate* inferius eſt, dedignata, ad *Auguſtiſſimos* pedes vel moritura procumbit, vel glorioſâ Famæ Cæſareæ tubâ reſuſcitanda indormit. Utrumque mihi in gloriæ partem cedet; ſive quòd morientis lyræ vox ultima fuerit, LEOPOLDUS; ſive quòd indormiens expergefieri poterit uno nomine

EPISTOLA

LEOPOLDI. Utrumque MAIESTATIS VESTRÆ gloriam in poſteriora ſæcula tranſmittet; ſive quòd omnem Poëtarum calorem *Auguſtâ* ſuarum virtutum ac Imperatorii nominis dignitate extinguat; ſive quòd extinctum *Auſtriacâ* rurſus benignitate expergefaciat. Ita ſerviat Sac. MAJESTATI VESTRÆ Poëſis mea. Quod ſi ingratum perſtrepuerit, fortè ut gratas oſcines ſolet noctua excire ſomno, ita rude ſonans hæc Thalia amœniores Poëtarum teſtudines in digna

LEO-

LEOPOLDO encomia excitabit. Hoc in voto morior

SACRÆ MAJESTATIS

VESTRÆ

Infimus Capellanus

Nicolaus Avancinus,
Soc. JESU.

AD AMICVM LECTOREM.

MVlta, quæ hîc leges, vel inſcripta foliis circumvolabant, vel per varia opuſcula ſparſa, aut in libellos congeſta Auctorem non prodebant. Collegit primùm eorum partem amicus meus, honorandis de more Academico S. Theologiæ Baccalaureis, & me conſentiente Hecatomben *harum* Odarum *edidit Viennæ typis Coſmerovianis Anno* M. DC. LI. *non prodito quidem apertè, inſinuato tamen ſatis per præfationem Auctore. Incidit fortè Hecatombe illa Bononiæ in manus viri, cæteroquin titulo Academico illic honorati (parco nomini & profeſſioni) qui nimiâ certè in me uſus familiaritate, Anno* M. DC. LVIII. *triginta tres ex ea Hecatombe Odas decerpſit, ſuo nomini arrogavit, in libel-*

libellum congeſtas typis dedit, ac etiam fronti, non ſatis aptè, inſcripſit: Hecatombe Odarum diverſa & varia complectens, *ac* Reverendiſſimo in Chriſto Patri Goſwino Nickel Societ. JESU Præpoſito Generali *dedicavit. Debuite hujus commonere; ne dum mea mihi vendico, ſi tu fortè in illam* XXXIII. *Odarum Hecatomben incidas, in me furti probrum refundas. Malim propria ſupprimere, quàm ſic uti alienis. Vale.*

FA-

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO
ROMANORUM
IMPERATORI
LEOPOLDO,
VNGARIÆ
BOHEMIÆQUE
REGI,
ARCHIDUCI
AUSTRIÆ, &c.
PRINCIPI ac DOMINO
Clementiſſimo.

VEnerabunda ad SACRATISSIMÆ MAJESTATIS VESTRÆ pedes lyram ſuam deponit Poëſis mea;

nunquam illam reſumptura; niſi novo calore aliquo in MAJESTATIS VESTRÆ gloriam & triumphos entheetur. Fregeram enimvero barbitum, cum horum Lyricorum librum tertium abſolverem, ſtatueramque etiam amicorum precibus rogatus, nunquam reſumere. Sed ubi in MAJESTATIS VESTRÆ verticem novæ ac ſupremæ *Imperii Romano-Germanici coronæ* confluxerunt; ſenſi novas mihi circûm tempora lauros ſerpere, lyramque & plectrum adtinnire, ac ſponte in manus

nus ſeſe inſinuare. Non potui temperare calori, quin & librum quartum adjicerem, qui totus in MAJESTATIS VESTRÆ gloria occupatur. Expertus non invitum Apollinem in tam *Auguſta* materia, quam orbis olim, ac meliora Vatum ingenia invidere poſſint; ibi rurſus teſtudinem meam inclino, unde experimento didicit, ſe reſurgere poſſe vivaciorem. Scio, quod MAJESTAS VESTRA & reportatis per bella triumphis, & ſtabilitâ *Imperii* pace, & *Optimi Principis* comparatâ

gloriâ, ſæculorum Poëtas in ſui nominis laudes invitabit; quibus ademptâ fingendi licentiâ in Heroicæ virtutis commendatione venam omnem exſiccabit. At hoc felicitatis meæ pars magna fuerit; quòd ubi MAJESTAS VESTRA Imperii diademate coronata, in hanc *Vrbem Viennenſem*, in hoc, inquam, Orbis compendium primùm advenit, in publica omnium artium ad inſtruendos CÆSAREA MAJESTATE dignos apparatus concertatione, meam quoque Thaliam clementiſſimo

tiſſimo afflatu reſuſcitaverit; quam & in *Sacratiſſimas manus* ſub *Imperii Romano-Germanici* nomine admiſit, & cothurnum etiam indutam *Auſtriaca* benignitate ſpectavit. Hinc, quidquid *Majeſtate* inferius eſt, dedignata, ad *Auguſtiſſimos* pedes vel moritura procumbit, vel glorioſâ Famæ Cæſareæ tubâ reſuſcitanda indormit. Utrumque mihi in gloriæ partem cedet; ſive quòd morientis lyræ vox ultima fuerit, LEOPOLDUS; ſive quòd indormiens expergefieri poterit uno nomine

LEOPOLDI. Utrumque MAIESTATIS VESTRÆ gloriam in poſteriora ſæcula tranſmittet; ſive quòd omnem Poëtarum calorem *Auguſtâ* ſuarum virtutum ac Imperatorii nominis dignitate extinguat; ſive quòd extinctum *Auſtriacâ* rurſus benignitate expergefaciat. Ita ſerviat Sac. MAJESTATI VESTRÆ Poëſis mea. Quod ſi ingratum perſtrepuerit, fortè ut gratas oſcines ſolet noctua excire ſomno, ita rude ſonans hæc Thalia amœniores Poëtarum teſtudines in digna

LEO-

LEOPOLDO encomia excitabit. Hoc in voto morior

SACRÆ MAJESTATIS

VESTRÆ

Infimus Capellanus

Nicolaus Avancinus,

Soc. JESU.

Digitized by Google

AD AMICVM
LECTOREM.

M*Vlta, quæ hic leges, vel inſcripta foliis circumvolabant, vel per varia opuſcula ſparſa, aut in libellos congeſta Auctorem non prodebant. Collegit primùm eorum partem amicus meus, honorandis de more Academico S. Theologiæ Baccalaureis, & me conſentiente* Hecatomben *harum* Odarum *edidit Viennæ typis Coſmerovianis Anno* M. DC. LI. *non prodito quidem apertè, inſinuato tamen ſatis per præfationem Auctore. Incidit fortè Hecatombe illa Bononiæ in manus viri, cæteroquin titulo Academico illic honorati (parco nomini & profeſſioni) qui nimiâ certè in me uſus familiaritate, Anno* M. DC. LVIII. *triginta tres ex ea Hecatombe Odas decerpſit, ſuo nomini arrogavit, in*

libel-

libellum congeſtas typis dedit, ac etiam fronti, non ſatis aptè, inſcripſit: Hecatombe Odarum diverſa & varia complectens, *ac* Reverendiſſimo in Chriſto Patri Goſwino Nickel Societ. JESU Præpoſito Generali *dedicavit. Debui te hujus commonere; ne dum mea mihi vendico, ſi tu fortè in illam* XXXIII. *Odarum Hecatomben incidas, in me furti probrum refundas. Malim propria ſupprimere, quàm ſic uti alienis. Vale.*

FA-

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo JOANNES BERTHOLDUS Præpoſitus Provincialis Societatis JESU in Provincia Auſtriæ, poteſtate ad id mihi facta ab Admodum R. P. GOSWINO NICKEL Præpoſito Generali noſtro, facultatem concedo, ut Poëſis Lyrica P. NICOLAI AVANCINI Societatis noſtræ, à quatuor Patribus ejuſdem Societatis noſtræ reviſa, & eorum judicio approbata, typis vulgetur. In quorum fidem has ſigillo officii & manu mea communivi. Viennæ 26. Maji, Anno Domini 1659.

L. S.

Idem qui ſuprà.

NICO-

NICOLAI AVANCINI
E SOCIETATE IESV
LYRICORVM
LIBER PRIMVS.
AD FERDINANDVM III. IMPERATOREM.
ODE I.

Ejus animi magnitudinem in rebus deſperatis memoriâ Nordlinganæ victoriæ excitat.

EST cura cœlo digna, regentium
Fovere Sceptrum; quoſque ferocia
   Hoſtilis ambit, vel protervus
      Sollicitat calor imperandi,
Faſces tueri. Sunt tua Numini
FERNANDE, cordi regna; nec arduo
   Minora bellorum tumultu,
      Ludibrium malè preſſa Sueco
Marti jacebunt. Providus ætheris
Sic ordo ſanxit: Cùm furor Auſtriam
   Laſſavit, & Bellona ſævis
      Imperium cinerare flammis
Jàm jam paravit, protinùs advolant
Portenta cœlo. Prælia Balthicis
   Utcunque ſævitura ab antris
      Conglomerent inimica tela;
In te minantis turbinis impetum
Retuſa frangent; ſeque tumentium

Fervor procellarum quieti
Reſtituet, generoſiore
Ferro repertæ. Si tua te juvat
Periculorum ſæpè ruentium.
Exempla, Bellonæque niſus,
Et furias revocare menti;
Iſter loquetur ſæpiùs hoſtium
Inſanientûm ſanguine decolor,
Lycuſque, calcatiſque latè
Rhenus aquis, trepiduſque preſsâ
Ripâ Viſurgis. Quà patet Imperî
Circus, tuorum linea ducitur
Conſtans triumphorum: ultimoque
Materies numeroſa laudum
Narraris orbi. Sed mihi vellicat
Nörlinga mentem, qua ſtetit Auſtriæ
Arena virtutis, ſaluſque
Imperij. Meminiſſe fas ſit.
Bellona, ſævæ Balthidos arduum
Emenſa pontum, fata Quiritibus
Suprema Germanis parabat
Vandalico properare ferro.
Latè minaci ſurgere vidimus
Campos ariſtâ, & Marte ſub æreo
Meſſem Gradivi impunè paſſim
Barbarico fluitare motu.
Licentioſis ante volatibus
Grando fremebat plumbea, miſſili
Armata letho; quam ruinæ
Imperij, gemituſque retro, &
Mentis Tyrannus magnanimæ timor.
Pallente vultu, vulnera, funera,

Cædeſ-

·Cædeſque, ſtrageſque, & dehauſti
Excidium populi ſubibant.
Quis tunc, timendum pectus ahenеis
Æratus armis, depopulantibus
Objecit haſtis? quæ paratum
Funeribus meditata campum
Virtus ferocis fulmina Vandali
Victrix ſubegit? quæ domuit manus
Belli procellas? quod volantem
Circùm equitum peditumque nubem
Robur paternis finibus arcuit?
Eheu! pudendi Martis acinace,
Et indecorâ cæde fuſus
Imperij jacuiſſet orbis;
Ni FERDINANDUS dira minantium
Vexare turmas impiger hoſtium,
Vaſtis fatigato ruinis
Imperio decus arrogaſſes.
Prô! quæ jacentûm ſtrata cadaverum
Nörlinga vidit! quem tibi Vandalus
Campum retexit! cùm fugaci
Anteijt ſua fata curſu.
Quantis Gothorum ſanguine decolor
Iſtri procellis infremuit Thetis!
Quanto flagellavit tumultu
Rhenus aquas, geminumque littus;
Cùm fuſa duro Marte cadavera
Miſceret armis, ſignaque volveret;
Et ſcuta ſcutis, tela telis,
Et galeas galeis feriret.
Tempeſtuoſi ſic malè concidit
Procella ferri, quidlibet impotens

Sperare; ni præſens favori
Auſtriadûm ſua tela Numen
Oppigneraſſet. Quæ tibi Martium
Tunc dextra robur pectoris indidit,
Stat uſque conſtans, & Gradivi
Auſtriaci comitata bellum,
Metit triumphos. Indue priſtinas
AUGUSTE vires, inſuperabili
Tonante fultus: quò Gradivi
Signa feres, trepidabit orbis.

AD FERDINANDUM III.

IMPERATOREM,

Cùm adhuc Hungariæ Bohemiæque Rex bellicam expeditionem ſuſciperet.

ODE II.

Vaticinium Victoriarum ejus.

VEntura luſtris poſterioribus
Edico vates. Huc age marmora,
Huc æra civis: FERDINANDO
Hîc memorem ſtrue fama pilam.
Nam quis ſuperbæ dignior arduum
Subire molis pegma, vel aureo
Spectari in arcu, ſive ahena
Clauſtra, Semiramiosvé muros
Mavortiali ſtraverit impetu,
Seu Sarmatarum cornua fregerit,
Thracumque Lunas, preſſeritque
Uno Aſiam Lybiamque Marte;

Quàm tu, Auſtriorum maxima Cæſarum
FERNANDE proles? Te puerilibus
Cunis reclinem barbarorum
Fuſa ſuper poſuiſſe caſtra
Avita Virtus Auſtria dicitur;
Jam tum decoro pulvere Martios
Fœdare vultus ambientem,
Et teneram ſolidare ferro
In bella dextram: Tum quoque baſijs
Ad arma natas per galeam genas
Libaſſe, Sol gentis, Rudolphus,
Et gladio clypeoque parvas
Aptaſſe vires. Creſce rebellibus,
FERNANDE, dixit, creſce Proponticis
Terror procellis, & tenellâ
Excidium meditare dextrâ,
Exercitatâ pectoris ægide
Olim movendum, cùm gravior manus
Incumbet armis, & tiaras
Fronte ſuper radiabit auro.
Tunc belluoſus Xanthus, & avii
Ripæ Scamandri, Thermodoontii
Hebri tumultus, Boſphoruſque, &
Argolicis Achelous undis,
Threſſuſque, & audax Biſtonius tuos
Mordere frænos diſcet, Achaica
Servire Tethys, Caſpiumque
Auſtriacam trepidare dextram.
Tunc & nivali prodita Caucaſo,
Aut fuſa ſaxis de Borealibus
Arma edomabis prælioque
Concuties Rhodopes ſub antris

Pudenda Martis ſigna Othomannici;
Latéque præ te caſtra fugacium
Agens Getarum, non decoris
Tergora vulneribus notabis.
Tu fulminantem ſub Mareotico
Fulgore Beſſum non reparabili
Damno fatigabis, premeſque
Indecores Mahometis aras.
Sed ante ſtragi Biſtoniæ tuus
Præludet ardor, pro patriæ focis
Per pila & haſtas, perque ſcuta
Auſtriaco ſuperanda Marte.
Tumultuoſi turbine ſulphuris
Objecta franges caſtra rebellium; &
Vinci reluctantis Lutheri
Poſteritas male fida diſcet,
Quid Marte poſſis. Milite nam tuo
Inſanientis Pergama Tænari
Demolieris, perfidiſque
Templa diu famulata ſacris.
Hæc ille. Sed jam temporis orbita
Evolvit ævum, quo tua fervido
FERNANDE ferro dextra terret
Suppoſitos pedibus Tyrannos.
Pavete vinctæ compede Cyclades,
Thraceſque, & audax Brennus, & inſolens
Armis Gelonus, Vandalique, &
Quidquid habet furiarum apertus
In bella Avernus: jam manus ignea
Se FERDINANDI in fulmina concitat.
Hauſtura gentes, jam ſolutus
Hinnit equus, violanſque freni

Leges,

Leges, in hoſtem præcipitat gradus.
Pavete: quò ſe volverit impetus
Calentis æſtûs, in ruinas
Fulmen aget, ſonitumque ferri.

AD ALEXANDRUM VII. PONT. MAX.

ODE III.

Vt decernat Immaculatam Conceptionem Beatæ MARIÆ *Virginis.*

QUi Vaticano, Maximus Arbiter,
E colle terras imperio regis
Cœlumque, ALEXANDER, caducæ
Præſidium pietatis; audi
Votum tuorum. Quà Juvenem vehit
Aurora Phœbum, Turca frementibus
Inſultat armis; quà ſenex Sol
Heſperium cadit in cubile,
Molitur Anglus funera: quà dies
Utrinque ſpectat diſſidio pari
Orbem diremptum, buſta mundi
Afer agit, cineresque denſat:
Quà ſe Bootes torquet, & Arcades
Lentas adurget, Moſchus & inſolens
Scythes, Gelonorumque Mavors
Sarmaticum lacerant vigorem.
Quemcunque mundi Sol videt angulum,
Illo laborat navigium Petri
Feſſum procellis, ultimamque
Bella fremunt minitata cladem.

Quiſquamne tandem terminus impium
Æſtum Gradivi ſiſtet, & indito
Frangens reluctantem lupato,
Excidium prohibebit orbis?
Vocanda cœlo eſt, jam toties ſolo
Fugata Pax. Decerne, quod alliget
Iratum, ALEXANDER, Tonantem, &
Detineat grave fulmen iræ.
Decerne ſanctâ lege: *DEI Parens*
Vixit veneno libera patrio;
Labiſque primæva parentum
Innocua, in geniale crimen
Non venit. Hoc te vilior aſpici
Plebs orat: hoc te, qui propior DEI
Aris Sacerdos adſtat; hoc te
Imperium rogat; hoc paterni
FERNANDUS hæres nominis; hoc Pater,
Hoc Gallus; hoc & quos Sapientia
Lauris coronat; quêis Tiaræ
Fronte micant, celebreſque mithræ:
Eccleſia omnis ſupplice, popliti
Affuſa ſacro, te prece poſtulat:
Dic: *Gurges hæredum, nepotes*
Cùm traheret pater in ruinam.
Mundi cadentis vulnera VIRGINEM
Non ſauciârunt. O quis honor DEO
Hinc exprimetur! quanta MATRI
Gloria Virgineæ, Tibique
Cantanda ſeris fama nepotibus
Naſcetur olim! quanta fidelibus
Toto orbe ſparſis, quanta Romæ
Lætitiæ ſeges emicabit!

Sed

Sed (quod bonorum ſumma) Propontidem
Qui turbat haſtis, quique Aquilonibus
Movet tumultus, qui cadentis
Solis ab Heſperio cubili,
Aut primo ab ortu prælia diſſerit
Mars inquietus, prælia ſopiet.
Sic auguramur! cùm Draconem
Virgineo pede ſubjugatum
Pronunciâris, nil poterit Draco
Enervis Orci, qui hactenùs impias
Flammas Avernali cavernâ
Orbis in excidium profudit.
Exinde puro Pax niveis polo
Invecta bigis gemmea ſæcula
Reponet, & mundo redibit
Cana fides, niveique mores.

AD B. V. MARIAM DEI MATREM,

ODE IV.

Cùm Auguſtiſſimus Romanorum Imperator FERDINANDUS III. *Ejus Immaculatæ Conceptioni Statuam in ſummo Vrbis foro Viennæ poneret, eique ſeſe devoveret.*

MATER, auguſto redimita Sole,
Cui verecundo pudibunda cornu
Luna ſe flectit, famulumque plantis
Subjicit ignem:

Cernis, ut vaſti dominator orbis
Poplite affuſo tibi FERDINANDUS
Supplicat voti reus, & perennem
Dedicat *Aram?*
Hîc perennanti rediviva ſaxo
Colla, ſerpentis grave pondus atri,
DIVA conculcas, onus & Draconis
Grande minaris.
Hîc Leo tritus gemit, & coloſſo
Atterit dentes, Baſiliſcus atro
Tortilis giro ſua ſponte ſubdit
Toxica plantis.
Antè communi temerata culpâ,
Exulis primi vitiata pomo
Credita es paucis, Erebique ſceptris
Colla dediſſe.
Nunc vetat Cæſar malè fluctuantem
Inter undantes pereuntis orbis
Dicere ardores jacuiſſe, & ullâ
Labe profanam.
Scilicet nondum per inane Cœli
Cynthiæ pernox vigilabat ignis,
Cynthius nondum ſua veſtiebat
Sidera flammis:
Nec ſuos Adam temerarat auſu
Impio dentes; tibi quando Numen
Subdidit mundum, genitrixque viſa es
Digna vocari.
Scilicet magni ſolium Tonantis
Dedecet primæ geniale noxæ
Crimen, & tantam rigidâ gravari
Lege parentem.

Egit

Egit hoc Cæſar tibi FERDINANDUS
Fuſus ad ſaxum, poſitaque lauru
Verticem acclinans: Mihi, Virgo, dixit,
Criminis expers
Audies ſemper: tibi regna ſubdo,
Sceptra, fortunas, populos, coronas,
Filios, memet; tibi dedicatum
Accipe munus.
Hactenùs genti populiſque Cæſar
Vixerim; poſthac tibi militabo
Servus. hîc ſceptrum, hîc diadema pono, &
Frontis honores.
Audiant gentes: meus ille dici
Deſinet, quiſquis crepitante flammâ
Vel *Rubum* credit potuiſſe cingi,
Nec tamen uri:
Vel ſacro extenſum *Gedeonis* agro
Vellus haud ullo violari ab imbre,
Tota cùm circum pluviis maderet
Area ſtillis:
Nec tamen nullo temeratam ab igne
VIRGINEM credit potuiſſe flammis
Eripi Inferni, ſolidamque mundo
Stare ruente:
Vel putat merſam pelagi procellis,
Quando communi tumulatus undâ
Nerei toto latuit profundo
Naufragus orbis.
Auſtrius quiſquis cupiet vocari,
VIRGINEM dicat ſine labe puram,
Quæ malum primæ geniale noxæ
Sola triumphat.

Sic vovet Cæſar, vovet & Vienna
Cæſarum nutrix, famulumque quidquid
Auſtriæ ſubdit caput, & verendum
Nomen adorat.

Ergò te VIRGO, meliore quiſquis
Spiritu vivit, veneretur expers
Lilium ſpinis, foliiſque puram in
Irida ſparſis.

Te puer molli labio, & puella
Gratiâ plenam canat, ante primas
Temporum cunas, refluique cœli
Ante recurſus.

Sacra dicaris *Domus*, hoſpitalis
Numini, puris laqueata gemmis
Quam profanati genialis orbis
Neſciat ira.

VIRGA Jeſſæo generoſa *flore*
Audias; magni *Solium* Tonantis,
Et *Thronus* puro *Salomonis* auro
Semper amœnus.

Terra dicaris *benedicta*, *flore*
Fertilis *campi*; cui Virginales
Anguis in ſulcos fugiat venena
Spargere culpæ.

Innocens VIRGO *Speculum* canaris,
Cûi ſuam Numen ſpeciem ſub umbra
Carnis impreſſit, ſpeculumque toto
Pinxit amore.

Celſior ſed dum ſupereminente
Cernis, ô VIRGO, famulam Viennam
Marmore, & preſſæ pudibunda càlcas
Cornua lunæ;

Auſtriam

Auſtriam pronâ, bona VIRGO, fronte
Aſpice, & magni pia FERDINANDI
Aure maternâ, facilique vultu
Suſcipe vota.

AD SERENISSIMUM LEOPOLDUM HVNGARIÆ BOHEMIÆQVE REGEM.

ODE V.

De optima regnandi forma.

NOn legúm cumulus, non rigor, aut metus,
Non frontis ſpecies ſemper amabilis,
Non ridens labium, non Numa, non Solon,
Non præcepta Lycurgica,
Non ſceptrum Aſſyrium, non dominantium
Perſarum cydares, non fremitus Scythæ
Servant Imperium. Non nimis acria,
Sed nec mollia Principum,
Sint præcepta nimis. Molliter impera,
Qui flectis populos: acriter increpa,
Si vis imperiis addere vim tuis.
Regnum molle nimis, perit;
Et crudele nimis, ſeditionibus
Internis agitur. Nolo Neronico
Torqueri populos imperii jugo.
Civis lege ſub æreâ
Oppreſſus, genium contrahit aſperum,
Et mores rigidos. Ut violentiùs,

Excuſſoque ſolo erumpit in aëra
Ignis, qui premitur nimis:
Sic quamvis genii nobilis, indoles
Arctari impatiens, cùm premitur, dolet;
Tum fervet rabie; denique, quàm diu
Molem geſſerat, excutit.
Aurati radius vel diadematis,
Vel ſceptri ſpecies, vel lateris color,
Vel fulgor Solii non benè convenit
Cum dura in populos manu,
Quæ labente magis fulmine ſæviat,
Et ferro & facibus; quæ jugulis neces
Semper parturiat; quæ tonet horrido
Semper ſupplicio, & reos
Æquè ac innocuos morte remuneret,
Et conſanguineo funere miſceat.
Cùi fulget ſolium, mens quoque fulgeat;
Et clari diadematis
In vultum veniat pulchra ſerenitas.
Immites animos, vulgus inæſtuans,
Plebisque indomitæ pectus, amœnior
Frontis mitigat area,
Et riſus facilis. Sic Leo ferreos
Clathros dilacerat, ſeque benignior
Cedit blanditiis. Quod nequiit furor,
Hoc clementia comparat.
Sed nolo reſidem dexteræ inertiam,
Nolo mollitiem. Sæpè ferocibus
Luctandum ingeniis eſt, quibus æſtuat
Mens in civica prælia,
Plebeiuſque furor: quæ melioribus
Si tentes ſtudiis fingere, vinceris

Cordis

Cordis duritie, & ludibriis probos
Vulgi mobilis objicis:
Quêis quò plus ſtudeas, plus noceas quoque.
Ergo fit facili in fronte ſeveritas,
In riſu gravitas, emphaſis in jocis,
Et conſtans animi tenor.
Hàc RUDOLPHUS iit: Non mihi, dixerat,
Uni naſcor iners, ſed populi bono:
Nec claudi patiar: me ſinite obvios
Amplexus dare civibus,
Hâc ALBERTUS iit, fortis aheneos
Unus per cuneos rumpere ſemitam,
Et ferrum manibus vulneris arbitrum
Exercere per æmulam
Obſtantûm rabiem; nec minus Auſtriis
Promptus ſanguineos tergere Solibus
Armorum fremitus, & rigidos trucis
Vultus ponere Achillei.
Hâc ſe belligeræ Mars Alemanniæ
Et mundi domitor CAROLUS orbitâ
Devolvit, Phrygio non minor Auſtrius
Bellator Telamonide.
Seu vectus pelago Gadibus Africam,
Europenque Aſiæ jungeret, & mare
Calcaret dominus, Biſtonis improbum
Audax fundere ſanguinem:
Seu Victor ſaturum Myrmidonum nece
In pace ablueret fulmen acinacis
Refractis furiis, ſeque amethyſtino
Soli fingeret æmulum,
Largus blanditiæ, parcus acinacis,
Parcus militiæ, pacis amantior,

Orbis

Orbis præſidium, gratia civium,
Janus nominis Auſtrii.
Hâc FERNANDUS iit (ſemper amabile
O nomen ſuperis!) æquè AVUS ac PATER,
Quêis mitis facili in fronte ſeveritas,
Et clementia ſerio
In vultu micuit: ſeu temeraria
Arcerent Stygiæ jura ſuperbiæ,
Et belli fremitus, & miſerabiles
Caſus Marte retunderent;
Quos vel Parrhaſiis Urſa Trionibus,
Vel Danis vomuit terra paludibus,
Aut ignobilibus ruſticus inſolens
Armis duxit in Auſtriam.
Seu pulchrâ cilium lege ſerenitas
Utrique opprimeret, regnaque pectoris
Occultâ regerent arte, benignitas,
Pax, clementia, gratia.
Hàc ibis LEOPOLDE: huc patrii trahit
Exemplum generis. Non reſes indoles,
Vel torpens animus, vel decorum tibi
Eſt ignara ferocia.
Vix natus, patrium dicere ſanguinem
Ebulliſſe puer, ſeque tibi graves
Inclinaſſe mitras, & facilem ſui
Virtutem puerilibus
Inſerpſiſſe togis. Jam tibi Pannones
Inflexére genu, ſeque Bohemica
Auguſto capiti Laurea miſcuit;
Et ſe purpura Regio
Affixit lateri; jam diadema te
Germani Imperii poſtulat, & ſuis

Arridet

Arridet radiis, jam ſapientiam
Et mentem Auſtriacam ſtupent,
Qui te conſpiciunt. Sic LEOPOLDE te
Exemplis patriis indue, & exere
Virtutis ſpecimen, mitia fulmina,
Clementemque ferociam.

AD SERENISSIMUM LEOPOLDUM HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGEM.

ODE VI.

Vt imperet ſuaviter & fortiter.

QUiſquis ſecundis Imperii ratim
Dynaſta felix ire Favonijs,
Fluctusque tranquillos jacere,
Et placidâ populi quiete
Gaudere geſtit; queîs DEUS imperat,
His ille terræ legibus imperat.
Cui norma regnandi eſt ab aſtris,
Sorte reget meliore gentes.
At numen unâ fronte ſerenius
Indulget orbi lumen, & imbribus
Terras ſuperfuſas inundat:
Fronte pari recreat, feritque.
Non ille, quamvis cæca licentia
Mortalium ſeſe inferat ætheri
Tu mens,Gigantæoque bello
Innocuis violenta pubes

Inſul-

Inſultet aſtris, ſemper acinace
Ultore ſævit, nec nocuâ manu
Elidit ignes, flammeumque
Ore vomit jaculante fulmen:
Non ille ſemper ſtat gravidâ ſuper
Judex ſeverus nube, nec ardua
In funera & clades acuto
Dextra riget metuenda telo.
Sed parcus iræ fulmina comprimit,
Lentuſque flammas volvere, vindicem
Suſpendit ignem; ac ultionis
Lora manu breviore tractat.
Crudele regnum mole ruit ſuâ;
Conſtat paternum: quoque ſuâvior
Et vultus & ſceptrum gubernat,
Hoc niveo magis exiguntur
Phœbo Calendæ, depluáque aureo
Felicitatis ſidera munere
Pacem reducunt, pulveremque
Euboicum revocant in annos.
Nil ſubditorum exulcerat acriùs
In bella mentes, quàm Ducis aſperi
Immitte ſceptrum, civiumque
In jugulos grave fulgur enſis.
Oppreſſa libertas fera ſuſcitat
In arma dextras, qui minus imperat,
Plus impetrabit; quique cogit,
Ille minus populum movebit.
At nec remiſſis legibus addecet
Frænare gentes. Nec nimis aſpera
Sint ſceptra Regum; temperato
Nec pietas careat rigore.

Impune

Impune crimen crimina germinat,
Serpitque labes, cui teneræ nimis
Manus medentur: fons futuri eſt,
Præteriti ſceleris medela
Neglecta. Vires tempora noxiis
Herbis miniſtrant. ſit rigidus favor,
Rigorque clemens, cùm veneni
Damna ſequens nihil auget hora.
Cùm perpetratum flagitium novæ
Eſt cauſa noxæ, ſupplicium manus
Ne lenta tardet. Qui nocentem
Non perimit, nocet innocenti.
Terrere, non eſt ſemper atrocitas;
Nec ſemper eſt clementia parcere.
Utrumque miſcendùm eſt. Machaon
Qualè ferit, ſimul & medetur.
Hac arte Reges ſæcula prorogant:
Hac FERDINANDUS ſuſtinuit Pater
Cæſarque mundum, quando regna
Juſtitiâ & Pietate flexit.
Hac tu, paternis non minor artibus
LUIDPOLDE regna; votaque patriæ
Virtute adimple, dum reponis
Juſtitiâ & Pietate Patrem.

AD SERENISSIMUM ARCHIDUCEM LEOPOLDUM GUILIELMUM.

ODE VII.

PANEGYRIS.

DIceris olim Mars Alemanniæ,
Et Galliarum terror, & Urbium

Victo

Victor rebellantûm, & Viſurgin,
Et Rhodanum, Legerimque magnis
Laſſaſſe bellis, atque Ararin metu
Turbaſſe ferri: Sequana te canet,
Et Rhenus, & Moſella, & Iſter,
Teque Lycus LEOPOLDE ſero
Tranſcribet ævo, non ſuperabilem
Armis Achillen, & memorabili
Loquetur auro; te tuorum
Fama canet ſenior Nepotum.
Dicêre, quantus mœnia ruperis
Mavors ad Ipras; quantus in obvium
Harcourtium fulmen rotaris,
Et rigido Cameracum in ære
Eviſcerâris: quam tulerit tibi
Donkercha palmam; quo Lielerium
Sudore victum; quo Menenæ
Quo ſteterit Gravelinga bello.
Nec te ſilebit grande opus Auſtrii
Mardika Martis; nec famularia
Rocroya ſubjeciſſe quondam
Colla tuis, LEOPOLDE, ſignis
Nimis dolebit; Quin ſua proniùs
Ceſſiſſe Brugæ mœnia, & arduas
Dixmuda turres, & Capella
Auſtriacam timuiſſe dextram
Gaudebit olim: nec ſibi Gallicum
Frænum Boburgum, nec ſibi Lilia
Rhetelium deſiderabit
Magne tuo, LEOPOLDE, ferro
Nuper ſubactum: quin tua Symbola
Cortracum amabit; ſub tua procidet
Vexilla

Vexilla Flander, deprimetque
Belga ſuos tibi ſponte muros.
Sed illa laus eſt maxima Principis,
Cùm Marte poſſis plurima, plurima
Clementiâ ſervare, & æqui
Nutu animi ſtudioque pacis
Cives tueri. Sic geris impetum
Mavortialem fortis acinace;
Ut non remittas lora mentis,
Nec rigido nimis ore fulmen
Stringas ſeverus. Nec violentia,
Nec ardor iræ extinguit amabile
Frontis ſerenum; nec ſuperbâ
Nube tumet cilij theatrum.
Vultus amicis vocibus aſſonant,
Voceſque cœli riſibus auream
Beatitatem proloquuntur,
Et genij moderatioris
Teſtantur aulam. Sic Patris indoles
Auguſta natos occupat, & ſuos
Mores refingit; ſic Leones
In ſoboles animos refundunt.
Talis ſerenis Solibus æmulus
FERNANDUS olim melle beatius
Spirabat ævum; ſic rigebat
Juſtitiæ metuendus enſe,
Ut lenitatis ſemper amantior
Per ipſa ſonti vulnera parceret;
Magis verecundi pudoris,
Quàm rigui cupidus cruoris.
Hinc conſonantûm gratia temporum,
Amica pacis ſæcula melleos

Annos

VITTORIO EMANUELE

Annos trahebant; hinc olivæ,
Hinc placidi micuêre Soles.
Sic tu frementes ingenuo minas
Extinguis auſu. Nam melius jubet,
Qui melle juſſa, & liberali
Imperium comitatur auro.
Hinc te ſagatis miles amoribus
Ultrò eſt ſecutus. Nempe fides Ducum,
Et ira conſtans, impetuſque
Hoc precio benè comparatur.
Hac arte ductæ in magna pericula
Ivêre turmæ: hac miles in obvios
Furoris ignes, hoſticamque
Impavidus ruit in procellam.
Te teſte quivis vincere, vel mori,
Per aſperati fulmina prælij,
Martiſque ferventis tumultus,
Per proprij pluviam cruoris
Amavit ultrò, nec puduit tui
Perire causâ. At tu quoque cum tuis
Ardore eodem vel perire,
Vel furias penetrare Martis
Victor fremebas. Nam quoties equo
In arma primus, primus in æreum
Campum irruiſti; nec cruenti
Ferrea diluvies Gradivi
Stitit volantem? nec rigidum gelu
Strinxit tuorum pectora, quêis faces
Facto ingerebas, æmulumque
In ſtudium facilis trahebas.
Hàc miles urget prælia; quà præit
Vis imperantis. Præcipientium

Exem-

Exempla plus urgent in auſûs;
Quàm tubicen, tonitruque vocis.
Novére Belgæ. Cætera ſupprimo
Momenta laudum, poſterioribus
Narranda ſæclis, queîs canêris
Præſidium LEOPOLDE Flandri,
Columna Regum, gloria Cæſarum,
Corona ſtirpis, gentis & Auſtriæ
Firmamen, & Martis propago,
Et fidei, patriæque fulcrum.

AD PRINCIPES GERMANOS.

ODE VIII.

De bello Germanico, pro pace.

EHeu, pudendi fabula ſæculi,
Sero Nepoti non ſine lachrymis
Cantanda quondam! quò furentûm
Theutonidûm rapit ira ferrum?
Non eſt honeſti hæc prodiga ſanguinis,
Nec digna veſtro nomine Theutones
Virtus, ſariſſarum calores
In proprias animare cædes.
Utcunque Turcas, aut Scythiæ vagas
Gentes ſubactas, ſignaque Achaico
Illata ponto, & funerati
Caſtra Getæ labefacta Marte
Audire mallem; nec Marathoniam
Laurum inviderem, nec Mareotida, &
Hebrum, Methoneoſque ſaltus
Theutonico cecidiſſe ferro.

Vates

Vates tacerem. Nam procul Artacen
Fumaſſe buſto, & ſanguine Boſphorum
Manaſſe, Bizantique turres
Fulmineâ occubuiſſe dextrâ,
Pridem Decembres diceret ad focos
Victor Geloni miles, & aufugam
Scythen, reluctantemque Beſſum
Theutonicos tolerare frænos.
Sed heu! nocenti parcitur; innocens
Sanguis ſititur. Barbara Norici
Nil tela mucrones fatigant:
Et gladios, toties cruore
Tinctos cytharum, Thyſſagetûm pudet
Pulchris phalanges rumpere niſibus,
Cretamque raptam, Cycladaſque
Non humili reparare bello.
At infecundo Marte Alemannicos
Enſes ſuorum in viſcera civium
Aut cæca regnandi libido,
Aut alijs ſupereminendi
Cupido merſit. Parcite, PRINCIPES,
De ſubditorum vulneribus ſitim
Potare veſtram, & parciore
Excidium prohibete ferro.
Utcunque vilis verticis eſt cruor,
Eſt indecorum fundere. Gloriæ
Si tangit ardor, appetitum
Temperies moderata frænet:
In inquieto fulgura gloriæ,
Non in ſereno, quæritis æquore.
Ipſe appetitus eminendi
Nocte viam tegit ad coronas.

Ferrum

Ferrum in ſuorum mergere viſcera,
In innocentes vertere fulmina,
Natare tabo, civiumque
Rura cadaveribus replere;
Evertere urbes, buſta coloniis
Inferre, cœdes irreparabili
Denſare damno, patrioſque
Sternere agros, ſegetemque agrorum,
Hoc Regiumné eſt? ſcilicet edito
Magnus locavit vos ſolio DEUS,
Libidini ut veſtræ litetur
Vulneribus, necibus, ruinis,
Buſtiſque Regnorum? Ah melius nitet
Auguſta cœli forma, ſerenior
Cùm fulget æther, ac amœnâ
Luce dies radiatus intrat:
Quàm cùm fragores fulminis intonat
Tonitruorum murmure ſævior;
Et convolutum nube cœlum
Fulmineâ ſtrepit à procella.
Timenda Regnis jam ſatis hactenùs
Eſt imperantûm viſa potentia:
Amœnitate enubilate
Tandem animos, ciliumque frontis,
Sciſſam tot armis inviolabili
Firmate rurſus nexu Alemanniam;
Metuque bellorum repulſo
Rurſus amor pietaſque regnet.
Non iſta Regum eſt gloria, purpuram
Fuſo ſuorum tingere ſanguine,
Aut apparatu præliorum
Abſumere opes, animamque regni.

Non iſta Regum eſt gloria, purpuram
Cometæ adinſtar ſpargere, cœdibus
Replere paſſim urbes, ſuiſque
Cum populis ſepelire regna.
Non iſta Regum eſt gloria, ſcribere
Leges ſepulchris, aut morientibus
Malè imperare, aut æſtuantes
In gladios rigidare ſceptra.
Hæc vera Regum eſt gloria, ſiderum
Feliciorum more, potentiâ
Mundum tueri, labilemque
Temperiem ſolidare rerum:
Res diſſipatas nectere vinculo
Conſtante amoris; ſeditionibus
Urbes laborantes levare, &
Paciferâ redimire olivâ.
Hæc eſt Virorum nobilium indoles,
Vitare bellum, quando neceſſitas
Non urget inſtans, & quietis
Lege ſuam ſtabilire ſortem.
Nam, quale ſidus non ſibi luminis
Pendit tributum, non ſibi Principes
Inaugurantur, ſed ſuorum
Utilitas diadema primùm
Excogitavit. Quem lateri gerit
Fixum, ſaluti impendat acinacem
Princeps ſuorum; nec ſeverum
Fulmen agat, niſi cùm rebellis
Arcendus hoſtis finibus imperî,
Et innocentûm patria Civium
Tegenda ferro eſt. Quod revinctæ
Frontis ebur diadema cingit,

Idem

Idem ſalubres in populos agat
Umbras: quod auro fulgurat, & ſolum
Lambit paludamentum, aperto
Regna ſinu populoſque cingat.
Quæ ſceptra torquet regia, neſciant
Ferri rigorem; vel violentiam
Severitatis, ſed modeſto
Auro animos populorum ineſcent.
Hac arte cœli prodigium, Auſtria,
Regina mundi, quà juvenis venit
Dies, fatigatoſque currus
Heſperio tumulat cubili,
Per fœderatum non moderabili
Mavorte ferrum in ſæcula protulit
Quaterna ſceptrum, dum procellas
Pacificâ recreavit aurâ.
Hac arte ſceptrum proferet Auſtria,
Si vota cœlum pronius audiat,
Ad uſque fines, & ſupremam
Canitiem morientis orbis.
Hanc vos precatur mœſta Alemannia:
Heroës artem, jam ſpecie minor,
Cadaveroſâ fronte, adeſo
Penè alia, at tamen ipſa, vultu;
Heu! triſtis, inquit, nec lachrymabili
Sat eluendus diluvio dolor,
Donec cruentatis ſepultus
Viſceribus retrahatur enſis.
Quot luſtra vidi, penéque ſæculum,
Ex quo Gradivus Civica prælia
Exercet in me, nec cruenti
Finis adhuc patet uſque belli.

Quot Albis amnes ſanguine polluit?
Quot Iſter egit valla cadaverum?
Quot ſcuta Rhenus, quot ſariſſas,
Quot clypeos, galeaſque volvit?
O Chriſtiano parcite ſanguini,
Veſtriſque ſceptris parcite PRINCIPES,
Quæ jam Gigantæo furore
In ſolidum riguêre ferrum.
Non arma dextris excutio: unicum
Precor: proquinquum parcite PRINCIPES
Laſſare regnum; & militare
Odryſſijs date robur oris
Bene elocandum. Hic Strymona miſceat,
At hic patentem ponte Propontidem
Inſternat, hic ducat calentem
Biſtonios ſegetem per agros.
Hic Neſſum inundet claſſe; Corinthiam
Hic claudat Iſthmum; hic æquore Cycladas
Vetet natare; hic jura Naxo,
Ille Paro; Scythiæque dicat.
Sic ite magni in prælia PRINCIPES.
Sic veſtra quondam bella Alemanniam
Jungent Achæis, & Pelaſgi
Theutonicas patientur aras.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum

D. COMITEM

FERDINANDUM DE PORZIA, &c.

ODE IX.

Cùm ab Auguſtiſſimo Imperatore FERDINANDO III. *ex Legatione ad Sereniſſ. Remp. Venetam revocaretur, & Sereniſſimo Archiduci* LEOPOLDO IGNATIO *præficeretur.*

Legationis functe laboribus
FERDINANDE, pulchras Adriaci maris
Dimitte ſedes, & Senatum
Ac populum Venetum relinque.
Secundioris carbaſa flatibus
Feruntur auræ. Jam tibi fauſtior
Recluditur portus, ratiſque
Auſtriacæ properat ſubire
Theatra laudis. Perge volentibus
FERNANDE Divis, Imperialium
Quâ ſe coronarum Vienna
Puchra parens, imitata Solem,
In luce jactat. Jam tibi Maximi
Blandùm favores Cæſaris annuunt,
Te vultus arridet, jubarque
Cæſareæ pietatis optat.
Hîc Patris ingens gloria Cæſaris,
Magnæque ſtirpis gemma ſequentibus
Aptatur annis; ut Coronis
A tenero LEOPOLDUS ungue

Aſſueſcat. Illum fors ſibi deſtinat
Olim Bohemus, fors quoque Pannones
Illi laborant, ominoſum
Ut Stephani ſtephanoma ſacræ
Fronti maritent. Non ego ſæcula
Magno parenti Neſtoris ultima,
Non pulverem fratri Sybillæ
Invideo, decimæque curſum
Felicitatis. Sed tamen indoles
Erecta cordis, ſpiritus igneus,
Mens fœta prudenti vigore,
Judicii generoſa virtus,
Auguſta ſpirant. Fors Othomannica
Huic Luna flectet cornua. Dextera
Sic apta bellis pollicetur,
Sic pietas animoſa ſpondet.
Quid ſi (futuri neſcio quis mihi
Apollo vates omina præcinit)
Cùm ſidus æternum cadente-
Ætate parens, vetuluſque frater
Addetur aſtris, ipſe ſerenior
Succedat orbi Phœbus, & aureo
Frontem coronatus tiarâ
Imperio moderetur orbem?
Quodcunque tandem ſidera deſtinent,
Nil vile credo. At, quamlibet edita
Natura, præceptis juvanda eſt.
Dum teneris adoleſcit annis
Ad ſceptra virtus & diademata;
Opus Magiſtro eſt. Ingenuæ idoles
Habent favillas acrioris
Ingenii, vegetæque mentis:

Sed

Sed publicarum in magna pericula
Crevêre rerum, cùm ſine Præſide
Virtutis, & cura Magiſtri
Interiit juvenilis ætas.
At quanta moles, fingere publicæ
Ducem ſaluti! qui excidium piis
Avertat aris, Hæreſesque
Ultor agat, ſcelerumque larvas
Ad impiatæ regna Proſerpinæ
Retrudat audax; qui ſolium occupet
Virtute; qui pacis quietem, &
Conſilio moderetur arma!
Non unus uno in Principe fingitur.
Unus paratur pluribus. Inſtruit
Plebemque, Civesque, & Senatum, &
Militiæ famularis agmen,
Quicunque vitam Principis erudit.
Nam lege Cives Principis ambulant,
Seſeque ad exemplum regentis
Tota ſtudent revocare regna.
Prudentioris conſilii eſt opus,
Neceſſitati pectora publicæ
Aptare Regum, Principemque
Egregiis animare curis.
Natura primos igniculos dedit
Ad ſceptra; virtus excoluit manum
Pectusque; virtutem Magiſtri
Cura vigil ſtudiumque format.
Olim quaternos Perſia Regibus
Dedit Magiſtros: vim ſapientiæ
Ut primus afflaret, rudemque
Ingenii tabulam novenis

Aſſueſcat. Illum fors ſibi deſtinat
Olim Bohemus, fors quoque Pannones
Illi laborant, ominoſum
Ut Stephani ſtephanoma ſacræ
Fronti maritent. Non ego ſæcula
Magno parenti Neſtoris ultima,
Non pulverem fratri Sybillæ
Invideo, decimæque curſum
Felicitatis. Sed tamen indoles
Erecta cordis, ſpiritus igneus,
Mens fœta prudenti vigore,
Judicii generoſa virtus,
Auguſta ſpirant. Fors Othomannica
Huic Luna flectet cornua. Dextera
Sic apta bellis pollicetur,
Sic pietas animoſa ſpondet.
Quid ſi (futuri neſcio quis mihi
Apollo vates omina præcinit)
Cùm ſidus æternum cadente
Ætate parens, vetuluſque frater
Addetur aſtris, ipſe ſerenior
Succedat orbi Phœbus, & aureo
Frontem coronatus tiarâ
Imperio moderetur orbem?
Quodcunque tandem ſidera deſtinent,
Nil vile credo. At, quamlibet edita
Natura, præceptis juvanda eſt.
Dum teneris adoleſcit annis
Ad ſceptra virtus & diademata;
Opus Magiſtro eſt. Ingenuæ idoles
Habent favillas acrioris
Ingenii, vegetæque mentis:

Sed

Sed publicarum in magna pericula
Crevêre rerum, cùm ſine Præſide
Virtutis, & cura Magiſtri
Interiit juvenilis ætas.
At quanta moles, fingere publicæ
Ducem ſaluti! qui excidium piis
Avertat aris, Hæreſesque
Ultor agat, ſcelerumque larvas
Ad impiatæ regna Proſerpinæ
Retrudat audax; qui ſolium occupet
Virtute; qui pacis quietem, &
Conſilio moderetur arma!
Non unus uno in Principe fingitur.
Unus paratur pluribus. Inſtruit
Plebemque, Civesque, & Senatum, &
Militiæ famularis agmen,
Quicunque vitam Principis erudit.
Nam lege Cives Principis ambulant,
Seſeque ad exemplum regentis
Tota ſtudent revocare regna.
Prudentioris conſilii eſt opus,
Neceſſitati pectora publicæ
Aptare Regum, Principemque
Egregiis animare curis.
Natura primos igniculos dedit
Ad ſceptra; virtus excoluit manum
Pectusque; virtutem Magiſtri
Cura vigil ſtudiumque format.
Olim quaternos Perſia Regibus
Dedit Magiſtros: vim ſapientiæ
Ut primus afflaret, rudemque
Ingenii tabulam novenis

Scientiarum pingeret artibus:
Alter doceret pectoris impetum
   Frænare, & ardentem ſeveris
      Imperiis regere appetitum:
Ad æquitatis tertius ordinem,
Morumque normam, juraque Cæſarum,
   Decreta, leges, & ſtatuta
      Juſtitiæ, Themidisque lancem
Regem erudiret: Quartus ut igneam
Ad bella mentem, ad prælia dexteram
   Exſuſcitaret, & probroſos
      Corde metus, pavidumque frigus
Procul fugaret. Tu unicus omnium
Supplebis artes: tu Sapientiam,
   Tu fræna mentis, tu æquitatis
      Jura dabis, calidumque pectus
Ad Martis ignem Principis excoles,
FERNANDE. Sic te conſilii tui,
   Prudentiæ, excelſæque mentis,
      Et genii moderatioris,
Morumque Cæſar conſcius eligit.
Ades tenelli regula Principis,
   Et norma vitæ, Cæſarique
      Conſimilem ſobolem parenti
Effinge. Non eſt difficilis manum
Sequi magiſtram materia. Indoles
   Auguſta primo prodit ævo,
      Quod ſenibus cumulabit annis.
Quod vir patrabit, jam puer indicat.
Natura magnæ ſemina gloriæ
   Oſtendit ultrò; ſeque parvus
      A tenero Leo prodit ungue.

Prò!

Prô! quantus olim, quantus in aureæ
Momenta pacis proferet Auſtriam
Prudentiam, clementiamque
Et placidos LEOPOLDUS oris
Riſus modeſti! quantus in æreas
Maturiori fortior impetu
Aſſurget iras, ſi furores
Odryſium minitetur aſtrum!
Sed te Magiſtro. Te Venetis procul
FERNANDE jam nunc fluctibus eripe:
Te CÆSAR optat; erudiri
Lege tuâ LEOPOLDUS orat.

AD RR. PP.
CHRISTIANUM HERTRICH,
&
FRANCISCUM SCHEFFELMAYR,
SOCIETATIS JESU,
ODE X.

Cùm ex Auſtria in Indias abirent.

Ergo poſthabitæ finibus Auſtriæ
Abſciſſos patrio climate, fratribus
Avulſos, violens vos amor Indiæ,
Nil fati trepidos, rapit?
Heu, quantis pelagus ſeditionibus
Tempeſtas lacerat! quanta minacium
Seſe conglomerant prælia fluctuum!
Quanto murmure Nereus

Luctatur Boreæ, & torva licentia
Turbatæ Æoliæ miſcet atrocibus
Pontum turbinibus! ſtant ſcopulis pares
Undæ, & ſidera montibus
Aggeſtis violant; moxque cadentibus
In valles ſcopulis Tartara detegunt,
Abſorbentque animos jam propè naufragos
Solo naufragij metu.
Quid Scyllas memorem colla trifaucibus
Succinctas canibus, mille latratibus
Terrentes mare, Symplegadas obvia
Urgentes ſola murmure?
Non eſt res modicis ſepta periculis,
Rixantis Thetidos tam fragili rate
Explorare fidem, perque Aquilonibus
Convulſum mare credulam
Hortari tabulam. Quis rabiem Noti,
Quis triſtes Hyadas, monſtra natantia,
Infames ſcopulos, Acroceraunia
Conſtanti videat genâ?
Quod ſi in nocte jacens vos populus movet,
Cœleſtumque rudes, & ſine Numine
Indi ſollicitant; eſt ſua proximo
Ignorantia Theutoni,
Vicinis nimia eſt nox Luneburgicis,
Haſſis umbra ſua eſt, umbraque Saxoni.
Et Danis tenebræ: huc fœta laboribus
Gnavi pectora vertite.
Sed vos Memnonidum devia ſedibus
Aſtrorum patrijs gens vocat. Ibitis:
Nec ponti rabies diſſociabili
Fluctu dilacerans mare,

Nec

Nec telis pharetræ lethiferis graves;
Sed nec Theſſalici pocula toxici
Terrent, nec populi barbaries feri,
Quidvis & facere & pati
Æquè magnanimos. Ibitis efferum
Calcare Oceanum ſeduli, & invias
Mundi ſepoſiti quærere ſemitas.
Talis per mare turbidum
Ivit XAVERIVS, ſigna nocentium
Impermiſſa DEVM cedere pertinax,
Nec fervor pelagi, nec Boreæ gelu,
Æſtu nec ſola Sirio
Avertêre animum Numinis igneis
Impulſum jaculis; quin avidus mori.
Arces Memnonias fœdere Romulo
In cœlis traheret vias.
Huic ſeſe famulis obſequioſius
Subjecit pelagus fluctibus, & gravem
Cervicem didicit flectere, & Æolus
Inſervire Favonijs.
Talis Silveria, & Nunnius, & Soſa
Invasêre freti marmor inhoſpitum,
Et Bungi populos, & mare Sinicum,
Et nuper patriæ Auſtriæ
Andreas Xavier raptus in ultimas
Oras Gangaridum. Scilicet impigris
Addunt hi ſtimulos mentibus, & procul
Adſpirantibus annuunt.
Sic vos compoſitis Oceanus ferat
Vndæ litigiis! Sic bona ſidera,
Mites Tyndaridæ carbaſa dirigant!
Sic blandæ Zephyritidos

Spirent obſequiis flamina; nec ratem
Decertantem odiis præcipitis Noti
Tempeſtas rapiat; ſed cicurabili
Somno indormiat Æolus,
Et pigris jaceant æquora fluctibus.
Audimur! teneris vela modeſtior
Imprægnat Zephyris aura, & Eteſiæ
Circùm ſuppara fluctuant.
Ite, ite, ô animi dimidium mei,
Dum ludit placidis aura Favoniis,
Et velum modico turgidum anhelitu
Inſultat famulo freto:
Ite, ite; & populos Deucalionio
Partu progenitos, fragmina rupium,
Et Pyrrhæ ſobolem, moribus Auſtriæ
Informate modeſtiæ.
Olim fortè canam, ſævitiæ memor,
Eliſos jugulos funibus, aut Crucis
Impletum gremium, aut barbarum acinacem
Veſtro ſanguine lividum;
Aut emptam jaculis Æthyopum necem,
Aut divulſa truci membra ferociâ,
Aut vivos cineres poſt ſua funera
Vates non humilis colam.
Ite, ite: at ſocius pergere dum vetor
Detentus patriâ, mens comitabitur.
Si tolli ex oculis fortè valebitis,
At non eripi amoribus.

AD

AD QUIRITES.

ODE XI.

De otio vitando.

VIdes, ut aſtris æmula pegmata,
Regumque turres, non ſuperabili
Faſtu tumentes, in ruinam
Mole ſuâ trepidæ fatiſcant;
Rimisque paſſim immanè patentibus
Tectum oſcitantes vix bene pendulum
Muros fatiget, perviisque
Grande Notis pateat theatrum?
Vides, opimi ut jugera prædii
Urtica damni fertilis obſidet,
Et permeantis lenè vitri
Triſte bibit lolium fluenta?
Primus pudendæ hic fructus inertiæ eſt,
Perire ſomnis: hæc ſine bellico
Furore Martis vaſtitatem
Immittit agris, laribus ruinas,
Peſtemque menti. Dextera ubi reſes
Pendet; nec agri nobile villico
Reddunt tributum, nec corona
Ulla venit redimere frontem
Victrice in umbrâ. Quid malè Pergama in
Buſtum voravit? quid Sybarim eruit,
Vertitque Cannas? cur cruento
Mixtus iit Thraſymenus amne?
Delicta turpis dicimus otii,
Vitæque inertis crimina pandimus.

Starent adhuc turres Gomorrhæ,
Nec Sodomam jaculata cœlo
Flamma uſtulaſſet; ni reſes otium
Squalensque inerti ſegnities ſitu
Gentem obruiſſet. Sic perimus,
Dum terimus malè tempus alto
Situ otioſi. Tollite deſidem
Pacem Quirites prolibus; ut gravi
Negociorum mole preſſas
A teneris acuatis annis
Ad publicorum pondera munerum,
Vrbisque faſces. Nempe ſequentibus
Annis Magiſtratus tenebunt,
Jura dabunt, populosque flectent,
Martem movebunt, prælia digerent,
Pacemque condent. Eſt, qui Agamemnonem,
Eſt, qui Catonem, Tulliumque,
Quique Numam ſimulabit olim.
Hunc cura legum, hunc dextra ſecuribus
Aptata Romæ, hunc conſilium togæ,
Pacisque mores, hunc juvabit
Matris amor, ſtrepitusque belli.
Sed non, ſi avorum moribus avii
Vitent laborem, turpis inertiæ
Molles Alumni; non Caleno
Si madeant, veterumque pugnas
Scribant Falerno regificis ſuper
Deducta menſis, horrida prælia
Narraſſe contenti; nec ultra
Facta patrum revocare avari.
Elumbe vitæ deſidis otium,
Et diſſolutus torpor adulterat

Molles

Molles nepotes, ſpiritusque
Magnanimi generis ſepulchro
Vivo recondit, fataque prævolo
Fato antecurrit. Quiſquis in otio
Tranſegit annos, ille vixit.
Imò diu, ſed inerte ſomno,
Vitam eſt moratus. Qualis inhoſpita
Palus putreſcit, dum negat exitum
Motumque lymphis, & veneno
Viperei generis redundat:
Talis laboris neſcia congregat
Angues Juventus, qui malè devium
Pectus flagellant, & nocentes
Mille replent vitiis medullas.
Ferax malorum deſes inertia
In mille mentem damna reciprocat,
Enutrit inſanos amores,
Inque animum vocat omne crimen:
Quem nec decori læta periculi
Cupido pungat, nec ſtimulet decus
Lauri virentis, nec paternæ
Effigies, memoresque avorum
Poſtes honeſtis ignibus urgeant
In facta Patrum. Surge Quiritium
Heroa proles; hinc Minerva,
Hinc lituus vocat in labores.

AD AUSTRIACAM NOBILITATEM.
ODE XII.

De non mittendis in exteras regiones filiis.

O Felix Alemannia!
Sed quondam: patriis cum bene legibus
Theuto

Theuto viveret, exteri
 Ignarus vitii. Ex quo ſobolem procul
Noſtram miſimus Italas
 Perluſtrare plagas, viſere Gallicos
Mores; deſiimus Patrum
 Noſtrorum innocuam currere ſemitam.
Funduntur patrimonia.
 Aggeſtæque, patrum non ſine ſanguine,
Tranſmittuntur in Angliam,
 Aut in Galliam opes; ut vitia Angliæ
Proles Theutonis induat,
 Et Gallis violet moribus Auſtriam.
Tanti eſt, Auſtria Gallicas
 Mercari ligulas, aut pedibus graves
Naves indere, vel brevi
 Enſi aptare latus, vel malè pendulum
Lævæ affigere fruſtulum
 Panni, quod mediâ vix ſpithamâ arceat
A tergo pluvium Jovem?
 Nimirum hoc patriæ merce pecuniæ
Noſtræ progenies emunt;
 Quod Matres pudeat, quod pudeat Patres,
Quod neſcire velint. Tamen
 Exemplis toties docti, opulentiam
Patrum effundimus, exteros
 Ut ritus ſoboles diſcat, & interim
Ignoret patrios, togæ
 Mavortiſque rudis. Quid memorem exteros
Noſtris creſcere viribus,
 Et noſtrâ toties ſæva pecuniâ
In nos arma recudere?
 Nos nervum facimus continuantibus

Noſtra

Noſtra in viſcera præliis.
Nos nos Imperio adſciſcimus hoſticam
Bellonæ violentiam,
Vicinique truces Martis acinaces.
Nam noſtro ſobolem foris
Auro dum ſequimur, grande frementibus
Bellis auxilium damus.
Et, quæ nos ſtolidi mittimus exteris,
Produnt æra domeſticas
Germanorum abacos, & veteres ſcyphos,
Argentumque ſuperfluens.
Auri hinc ſacra fames, hinc ſitis æſtuans
In Germana cupidinem
Externam furiat pabula. Filios,
Externorum avidos, domi
Servate innocuos: occidet hoſtium
In tot prælia fervor, &
Nervus diſſiliet, quo malè floridam
Infeſtant Alemanniam.
Quod proſit patriæ, non benè diſcitur
Externis regionibus:
Detrimenta foris patria pullulant.

AD M. ERISIUM.

ODE XIII.

ADMONITIO,

Cùm ad Aulæ obſequia accederet.

SI neſcis Eriſi, quam petis, improbus
Eſt aula Oceanus. Littore ſolvere
Multis Sole ſecundo,
Sed paucis regredi datum eſt.

Ingreſſum

Ingreſſum facilis proſperat Æolus,
Egreſſum rabies aſſiliens vetat:
Et ſi exire labores,
Te fracta in medio ratis
Fluctu deſtituet. Sic rege carbaſa,
Vt nec lenta nimis detineant vada,
Nec te præcipitati
Allidant ſcopulis Noti.
Vt felix remees, hæc moneo: ambitum
Mentis diſſimula. Plurima qui petit,
Votis amputat alas,
Si vota exerit ignea.
Sortis delicio parciùs utere:
Tranſit dum frueris. Tela calumniæ
Non adverte. retundis
Cautè, ſi minùs æſtimas.
Rideris? faciles excipe riſibus
Riſus. Opprobrio ſemita clauditur
Dura ad vulnera cordis,
Si conſtans animo feras.
Infeſtos pateris nominis æmulos?
Non agnoſce: jubar pande ſerenius
Vultûs, atque ut amicos
Tracta, qui tibi vulnera,
Et mortem fabricant. Machina machinam
Hæc illam jugulat. Tragula te implicat,
Diſpoſtæque parantur
Adverſo inſidiæ dolo?
Inſultare; magis ſed cave ſpernere.
Qui jactat, furias excitat æmuli:
Qui ſpernit, decumanam
In ſe Principis attrahit
Com-

Commoti rabiem. Cede minoribus;
Nec primis inhia partibus. Ultimam
Retrudetur ad oram,
Qui primam nimis ambiit.
Quæ damnanda vides, claude ſilentio;
Quæ audis, diſſimula ſcire. Parum ſapit,
Qui quidquid ſapit intus,
Ipſis in labiis gerit.
Quæ laudanda vides, laudibus evehe.
Si laudanda taces, invidiæ te arguis.
Laus impenſa lucratur
Impenſum obſequium omnium.
De te, de patribus, deque atavis tuis,
De ſtirpis meritis, aut nihil, aut parum
Te jactare memento.
Plumis ſe probat exteris
Niti, qui generis ſtemmata jactitat.
Extincta eſt veteris gloria ſanguinis
Ipſo in funere patrum,
Ni factis redeat tuis.
Si te multa levat gratia Principis,
Tu faſtum graviùs deprime pectoris.
Mens depreſſa meretur
Rursùs celſiùs evehi.
Si te non ſequitur gratia Principis,
Nec dulce alloquium, aut frontis amœnitas;
Non advertere finge,
Nec te ſubtrahe Regiæ.
Sponte hic turbo cadet; vel melioribus
Princeps ſervitiis captus, amoribus
Te amplectetur avitis,
Extinctâ veteri notâ.

Si te muneribus vix modicis beet,
Accepiſſe puta maxima. per minus
Donum magna futuris
Donis ſemita panditur:
Nec dignus modico eſt, qui minima abnuit,
Nec majora feret. Quod tribuit manus
Magni Principis, aut eſt
Ingens, aut manus efficit.
In nullum ſatyras ſparge; calumnias
In nullum exonera. Debilior canis
Majorem allatrat. alta
Mens hæc vilia deſpicit.
Nulli non hilari frons jubare obviet;
In nullum cilium ſurrige. Proditur
Mens in fronte: reducta
In nubes, animum arguit
Obſcurum & tumidum ſuſpicionibus:
At læta, & facili lege modeſtiæ
Frons exterſa ſerenam
Signat pectoris aream.
Prudens obſequii tempora dilige,
Horæque invigila. Perditur unius
Neglectu obſequii plus,
Quàm mille officiis lucri
Accedat. Cave, ne principis arguas
Dicta, aut facta. licet crimina publica
Seſe in compita trudant,
Verbis extenua tamen;
Aut laudes alias Principis ingere.
Nemo eſt tam ſterilis laudis, & improbus,
Ut nullam mereatur.
Quod ſi liberiùs notent

Regis

Regis facta alii; crede animi ſinus
Explorare tui, ac retia tendere;
Tu prudentior eſcam
Ne captes labiis, cave.
Non te detineo pluribus. Unico
Complector monitu plurima. Ut arduum
Aulæ per mare ducas
Liber naufragio ratem,
Et vites ſcopulos mille periculis
Infames; animum purior occupet
Virtus. Sola ſecundos
Virtus ſuggeret Æolos.

AD L. VARRUM.

ODE XIV.

De Fortuna non querendum.

PArce Fortunam lacerare, Varre;
Si, quod humanâ dedit ante dextrâ,
Rursùs infidâ rapiat; nihilque
Proroget ævum.
Inde laudanda eſt magis, unde damnas.
Omnibus debet: rapit iſti, ut illi
Porrigat partem, pia, liberalis,
Optima Mater.
Sic dat, ut ſemper dare poſſit. Uni
Larga, dum ſummâ nive canet ætas;
Parca, dum primo viguit venuſta
Flore Juventa.
Alteri primâ nive liberalis,
Parca poſtremâ. Quod heri negavit,

Craſtino

Craſtino ſervat. Tibi deſtinata
Adfluet hora.
Abſtine probris, nocitura quando
Vota non audit Dea. Largitatis
Eſt genus quoddam, nocitura amico
Vota negare.
Quod ſatis cûique eſt, Dea liberalis
Commodat: nulli ligat æviternùm.
Si ſuum tandem repetat, moleſtis
Parce querelis.

AD CLARISSIMUM VIRUM
D. FRIDERICUM GRUNER,
ODE XV.
Cùm J. V. Doctor crearetur.

NOn, cui lævibus implicat
Auro cuſa diem gloria crinibus,
Gemmarumque frequentia
Accendit mediis imperium comis,
Exemptus popularibus
Undis, Dædaliis niſibus ætheris
Invadet Capitolia:
Non, cui barbaricis infula nexibus,
Innubique micans face
Obſedit tumidum gratia verticem;
Non, cui fama Agamemnonis,
Aut Pyrrhi tubicen Rumor, eburneis
Circùm tecta ſonat rotis,
Et laudum ſeries hoc lituo canit,

Quo

Quo nuper Naſamoniæ
  Virtutis dominas intonuit togas,
Cantatumque Decembribus,
  Martis delicias, ignibus Hectora,
Aut famam Amphytrioniam
  Notam ſideribus miſcuit hoſpitam.
Ignotum ſpolium maris,
  Et Tarteſſiaci progeniem freti
Fictis demite crinibus;
  Si quos ſollicitat Fama Corinthiis
Menſurata decempedis;
  Laudatæque movet ſcena ſuperbiæ.
Auratas Siculis honor
  Procudiſſe notas dicitur ignibus,
Quêis Regum tegitur caput,
  Et famæ tenuis pingitur orbita.
At quos eruerit ſibi
  Vulgi incompoſitis turbinibus Themis,
Veri lucida Numinis
  Immiſcere comis fulgura dicitur.
Hinc qualis ruit arduo
  Parnaſſo vitreus filius ungulæ,
Et circùm placidis natat
  Undarum choreis Numen amabile;
Talis mentis ab edito
  Clivo devehitur ripa ſcientiæ,
Et circùm latus obſidet,
  Omnemque irriguis pectoris aream
Rivis ſuavè perambulat.
  Hoc, ceu Sidonio flumine, purpuram
Divûm progenies Honor
  Tingit nobilium ſigna Quiritium.

Quiſquis

Quiſquis conſiliis eget,
  Cui ſub cynnameo pondere crinium
Nullus Conſul olet, tuis
  Nomen non meritum deme ſecuribus.
Regem non facit aureus
  Imber, non rutilo cincta ſatellite,
Pactolique die coma;
  Aut arguta ſuo frons diademate.
Rex eſt, cui Themidos memor
  Ardet conſpicuo frons diademate.
Hac tu nominis aurei
  FRIDERICE notâ pulchrior aſpici,
Turbis jura minoribus
  Dictas; nec ſterilis conſilii, tuæ
Ipſe es Concilium domi:
  Non extra rutilam verticis infulam
Divinamque ſuperbiam
  Prætextrata tibi Curia quæritur;
Sed tu ipſe in medio tibi
  Laudum judicio Conſul inambulas.

AD NORONIUM.

ODE XVI.

Exemplo & mores parentum plurimum poſſe ad prolis educationem.

MOres parentum non tenui fluunt
Amne in Nepotes: fingitur ad patris
  Exempla natus. Sic propinqui
    Herba ſoli vitium, bonamvè
Radice primâ combibit indolem.

Æterni-

Æternitati ſi ſobolem voles
Vixiſſe, NORONI, vel ire
Laudis iter, niveæque callem
Calcare famæ tu prior integer
Inter procellas temporis, aufugos
Lucrare Soles, & labore
Non timido vegetare famam
Cura Nepoti. Si tibi comitas
In fronte ſuavis, ſi Charis in labris,
Geſtusque manſuetus, tenorque
Idem animi, placidumque pectus;
Non tu Neronem, non patriæ dabis
In prole Galbam. Pura ſerenitas
Vultûs, & affatus benignus
Congenerem fluet in juventam
Prolis tenellæ. Te ſuper arduas
Strages jacentûm impulſa cadaverum
Cruore ſparſum fortitudo,
Te decorum generoſus ardor
Per arma ducat; jam patriæ dabis
In prole Achillem. Patris adoreæ
Natum excitabunt; nec jacere
Muta tuæ monumenta laudis
Piger videbit. Fruſtra aliàs bonas
Suadebis artes, ſi tibi Cæcubo
Menſæ fatigentur, diemque
Segnis agas, patriasque mergas
Opes Falerno. Qua cupis inſequi
Viâ Nepotes, hac pater antei:
Exempla ſunt leges; parentes
Quod faciunt, fieri requirunt.

AD UNIVERSITATEM VIENNENSEM.

ODE XVII.

Ut juramento aſſerat Immaculatam Conceptionem B. V. MARIÆ.

IAm ſtat capaci erectus in area
Coloſſus, artis Phidiacæ labor;
Piique teſtis FERDINANDI
Primigeni ſceleris carentem
Dicit MARIAM. Quin, Academici,
Opinioni Cæſaris addimus
Votum, aut Sacramentum? Meretur
Magna PARENS ſine labe dici
Concepta. Qualis marmoreas ſuper
Cùm navigaret Lamechides domos,
Latè & ſuperfuſus ſuperbas
Oceanus ſepeliret urbes;
Labantis ævi diluvio obruti
Ceſsêre cuncti: ſola fluentium
Exempta tempeſtate aquarum
Funereas pereuntis orbis
Non ſenſit iras Arca, ſuper graves
Invecta fluctus: talis in omnium
VIRGO ruinâ contumacis
Naufragium ſuperavit undæ,
Quam neſcienti crimina patria
Infudêre mundo. Scilicet *hac decet*
Nitere Matrem puritate,
Quâ nequeat melior creatâ

A men-

A mente pingi. An non potuit DEUS
Servare Matrem? an noluit, Angelis
Olim imperaturam, paternâ
Eximiam generare noxâ?
O impotentis dextera Numinis,
Si quod volebat, non valuit! reum
O filium; ſi, quod valebat,
Non voluit, geniale crimen
Abeſſe Matri! Nempè gregariâ
Nos (ſi daretur mentibus optio)
Naſci precaremur parente?
Non decorum patriorum avitum
Quam ſtemma & altæ frontis amœnius
Clararet æquor? cujus in exterum
Et intimum vultum erogarent
Munificæ Charites decorem?
Ite, ite: voto ſupplice dicite
Affuſi ad aras: *Quam ſibi Filiam*
Elegit, & Sponſam, & Parentem,
Hanc patrio DEUS *à veneno*
Servavit. Olim ſic Dola ſanciit,
Sic Muſſipontum, ſic Salamanticæ
Dixêre Muſæ; FERDINANDI
Sic pietas præeuntis urget.

AD MACRINUM.

ODE XVIII.

Honor virtutem ſequitur.

VMbra virtuti ſua ſemper inſtat,
Laus, honor, famæ popularis oda,

Gloriæ affluxus, memorique fuſæ in
Ære columnæ.
Ureris laudum ſtudio, ac honoris
Igne? virtuti facilem moleſtæ
Applica mentem : dabit illa famæ
Grande tributum.
Et licet denſis nitidam tenebris
Livor infeſtet; nebulâque Soli
Obviâ famæ meritos triumphos
Invidus abdat;
Sed tamen puris aliquando cedet
Gratiis nubes, facilemque vultum
Exeret virtus; & amiciore
Luce placebit.
Impari ſemper jaculo duellant
Livor & Virtus; minor ille cedit,
Major hæc ſurgit, validâque palmas
Involat haſtâ.
Sic ubi nubem toleravit infans
Cinthius, tandem violentiâ adultus
Increpat flammâ, medioque vultum
Explicat axe.
Sed negat laudes hodie : diem tu
Craſtinum expecta. Brevis eſt ſagittis
Vita livoris: venit, aufugitque,
Fulminis inſtar.
Impetus primos habet inſolentes.
Suſtines? frangis. trepidas? triumphat.
Pectus armati fugit, at jacentis
Fortiùs urget.
At per ætatem tibi ſemper inſtat?
Alteram expecta. Moriere? vivent

Poſteri,

Poſteri, & famam veniens ſepulchro
Eruet ætas.
Sæculi nolim breviore metâ
Vota concludas. Erit ordo quondam
Alter annorum, venietque gens Vir-
-tutis amatrix.
Illa, ſi præſens ſileat palæſtra,
Illa virtutem tumulo evocabit;
Quæque in ætatem latuit, ſecundâ
Ætate patebit.
Vera, vel præſens retulit, vel abſens
Gloriam virtus. Negat hæc honores
Debitos ætas? dabit hos ſepulto
Poſthuma fama.
Semper à tergo, propè vel remotè
Umbra Virtutem hæc ſequitur. Negatus
Quin honor laudi eſt, emiturque ab ipſis
Fama tenebris.

AD CAIUM SENNIUM.

ODE XIX.

Deteſtatur noſtri temporis bella.

Ex Horat. Epod. od. 7.

QUò belli rabies, quò furor incitus
Mentes præcipitat? quò malè Theutonum
Mucrones ſaturi ſanguine cædibus
Noſtris aſſiduè tepent?
An fors Auſtriacis Danubius parum
Bellis erubuit? non ſatis aut Lycus,

Aut Albis gemuit? Moldava non ſatis
Preſſus Marte Bohemico
Ripas Theutonico ſanguine polluit?
At non Threjicii ut cornua ſideris,
Non ut Biſtonidûm bella retunderet,
Deviƈtæque Propontidos
Littus littoribus jungeret Auſtriis,
Inviſumque genus fulmine ferreo
Seƈtatus premeret Theuto, vel Africas
Arces in cinerem daret.
O probrum generis Theutonici! ô pudor!
Cur non Biſtoniis fræna furoribus,
Aut Threſſæ remoram injecimus aſpidi?
Aut cur non Othomanicas
Iras ſanguineo extinximus æquore?
Ipſi (quo voveat nil truculentius
Germanis Selimus) funera patriis
Scrutari ruimus fibris.
Ipſi funereis ſternimus oſſibus
Campos, & putrido rura cadavere;
Ipſi diruimus mœnia & oppida,
Et buſtum patriæ damus.
Quæ tigris tigridi, quisvè lupus lupo
Infeſtus, rabiem dentibus exerit,
Crudelemque animum in congenerem ſibi
Exercet tigridem aut lupum?
In non conſimilem bellua belluam
Ungues exacuit; dentibus irruit
In non conſimilem: ſed ſibi compari
Parcit bellua belluæ.
Nos, nos degeneres indole, ſanguinem
Humanum bibimus; nec ſaturi tamen

Uno

Uno hauſtu, extrahimus quidquid in ultima
Sede eſt pectoris abditum.
Cæcusné eſt furor hic? an rapit acrior
Vis conſanguineos? dicite. Pallidum
Invadit labia ac ora ſilentium,
Et fibræ attonitæ ſtupent.
Sic eſt: diſſidiis, non ſine crimine,
Germani ſcidimus viſcera patriæ.
Hæc ſeris meritam culpa Nepotibus
Pœnam, funera, deſtinat.

AD MARCUM TALIONIUM.

ODE XX.

Fatua veſtium gloriatio.

Non chlamydis ſonantis
Aureæ bullæ, neque Sidon celebrata ab
Non Aſiæ volucrum (oſtro,
Texta, nec filis operoſum Phrygii laboris
Te ſtudium elevabit
Altiùs vulgo. Tibi quod nunc latus ambit o-
Quæque pedes flagellat (ſtrum,
Purpura, & veſtis radians Oebalio apparatu,
Et Sinicos colores
Exues tandem TALIONI. Cecinisse quondam
Audiimus Poëtam:
Fabula eſt vita. Hanc agimus nos fragili in
Cùm fuerit peracta; (theatro.
Qualis intravit vacuus, talis abibit Actor;

Veraque reſtituto
  Ore ſumetur facies, diſſimulata cedet.
Quod quis erat , reſumet.
  Qui fuit Princeps, phaleras ponet, & induetur
Vix benè tecta villo
  Membra. Cedendum eſt. Phrygionum labor
Deſinet. O togate   (in lacernam
  Tinnulo miles tonitru Mygdoniæ palæſtræ !
Quid tibi fert avarus
  Indus, aut Hermus? locuples quid Genoëſſa
Quod gladio pyropus,   (in auro ?
  Sella quod confert aſino. Nec vegetat remiſ-
Ingenium, aut decorem   (ſum
  Mentis exornat, neque fibras animat vigore.
Mollia, nec peritum
  Militem armorum faciunt, nec capiti Miner-
Ingenerant ; nec auro   (vam
  Major eſt mentis calor. Indigna animo viri-
Cura, tumere veſte ;   (li eſt
  Dignior ſexu leviori. Mediocritatem
Si nitor, elegansque
  Cultus excedunt, rapiunt ingenium, occu-
Mole negociorum   (pantque
  Veſtium curæ : capiti nil reliquum reſervant.
Vis ſapiens haberi ?
  Occupa mentem meliori ſtudio, Tyrumque
Exue : fortiores
  Milites villo veniunt, & ſapientiores
Philoſophos lacerna,
  Quàm Canopæi precium muricis educavit.

AD TITUM CANDIDUM.

ODE XXI.

Adverſa non ſunt mala, ſi benè utaris.

INſtitor pacis, placidæque mentis
Emptor, in rerum penetra medullas:
Nucleum penſa; rigidamque deme,
CANDIDE cruſtam.
Exteri fallunt nimiùm colores;
Veritas imo latet in receſſu:
Deme, quod circùm tegit, & latentis
Erue frontem.
Error in rerum ſpecie laborat:
Veritas intus tegitur. Colores
Senſui illudunt: ratione verum
Nititur omne.
Quidquid his mundi pateris procellis,
Nil malum dicas. Malus uſus aufert
Optimis famam, minuitque ſanctis
Rebus honorem.
Peſtis & morbi, cruciatus, enſis,
Mille tormentis animatus horror
Nil trahunt ſecum vitii; ſed umbram
Adjicit uſus.
Ferrum idem ſervit patriæ ſaluti,
Servit & cœdi propriæ; ſed uſus
Præſtat, ut cœdem potiùs minanti
Obviet iræ.
Enſis aſpectu mulier fatiſcit,
Miles exultat: timet illa mortem,

 Sperat

Sperat hic famam, decimoque nomen
Ferre nepoti.
Abſtine affectu: neque fulminantes
Fœmina horrebit chalybis furores;
Nec manus ferro nimis implicare
Miles amabit.
Quæ putat vulgus cruciare, poſſunt
Gaudii meſſem dare; ſi timores
Mentis expungas, & opinionem
Corrigat uſus.
Quæque decepti ſegetem putamus
Pacis, hæc torquent. Malus uſus iſta
Flectit in noxam; bonus uſus illis
Fundat honorem.
Utere adverſis patienter: inter
Læta conſtantem retine tenorem.
Hinc & hinc victor referes quietæ
Gaudia menti.

AD AUFIDUM.

ODE XXII.

Educatio plurimùm poteſt ad virtutem

PRincipium natura boni eſt: tamen illa remit-
Si deſit inſtitutio, (tit,
Et documenta boni.
Plures naturæ durum vicêre rigorem
Prudente vitæ regulâ,
Quàm tenuêre probam
Vivendi normam ſine recti lege magiſtra.
Plures Magiſter improbus
A probitate trahit

In

In comitem vitii; quàm conſuetudo proborum
Patiatur ire ſemitam
Indolis indomitæ.
Non nego naturam ad virtutem plurima poſſe:
Sed fortè ſi quis indolis.
Nobilitate caret,
Naturæ vitio, normamque exhorret honeſti;
Urgente lege dirigi
Durities animi
Ad rigidum virtutis iter valet. Iſta frequenti
Mollitur aſſuetudine.
Et monitoris ope.
Nulla malignantis tanta eſt audacia vitæ,
Doctrina quam non atterat,
Inſtituatque manus
Cote magiſterii. Patitur vel Caſpia tigris
Legem, vel urſa Thracia,
Armeniusque Leo.
Non minus ingeniis flectendis improba cura
Poteſt, vel inſtitutio,
Aſſiduusque labor.
Jam nemus humanas denſum tranſivit in urbes,
Et ſcopulus in palatia;
Regia ſtatque domus,
Hic ubi arena fuit; ridet Flora æmula Pæſto
Hymetiisque Gratiis,
Hic ubi ſe ſterili
Terra dabat lolio: rupes ubi celſa ſuperbum
Miſcebat aſtris verticem,
Hortus alit Charites.
Saxa cavantur aquis, non vi, neq; turbine nimbi,
Sed guttulis cadentibus,

Et patiente morâ.
Ipſe chalybs domitus Liparæâ incude, remittit,
Sequiturque ductum mallei,
Imperiumque fabri.
Cui rigidum natura dedit ſub pectore ferrum?
Vel cûi medullas marmoris,
Duritiemque petræ?
Cûi rigidam infudit, genus intractabile, tigrin?
Vel cui Leonis viſcera
Cruda noverca dedit?
Si tamen illa dedit ferrum, tigridemque, Leo-
Aut marmor; educatio (nemque
Corriget ingenitam
Barbariem mentis. Doctoris legibus omnis
Feritas poteſt miteſcere,
Ingeniumque premi.

AD CONDYLUM.

ODE XXIII.

Diſcrimen veri & falſi amici.

DIſtingue amicos CONDYLE. Non potes.
Omni carere? at ſelige, dum potes.
Multis amaris? ſed fideles
Vix poteris numerare paucos.
Eſt, quem catenat pectoris integri
Amor virilis, nec dubio fides
Colore picta: eſt, qui verendum
Nomen amat, caret arte, amici.
Uterque vultûs exerit aream
Serenitatis ſidere lucidam;

Uterque

Uterque comit verba: uterque
Mella oculis fluit, ore mella,
Uterque crebris limina baſiis.
Exoſculatur, vel lateri comes
Hærere gaudet; quaque tendis
Inſequitur præeuntem uterque.
Sed dum pares ſunt moribus, impares
Diſcerne factis. Hic ſibi conſulit,
Tuamque ſortem, non te, adorat,
Atque tuo magis ære gaudet
Suum ampliare, aut tecta domeſtica
Ornare donis; atque ſuperſtitis
Hæreditatem vaſtam adire, &
Sorte tuâ ſibi arare ſortem.
At ille cenſûs non memor aurei,
Et affluentis conditionibus
Lydi ſuperbis, Dauniæque
Meſſis, & auriflui tributi,
Quod pendit Indus divite copiâ,
Hermuſque venâ fervidus aureâ,
Vrnâque Ganges bracteatâ,
Quod gremio Genoëſſa fundit;
Si poſcat anceps rebus in arduis:
Fortuna dextram, ſubſidio dabit;
Vel ſi novercali furore
Impulerit malè ſana fatum,
Opponit altam pectoris ægidem,
Arcemque mentis: quæque periculis
Infida te Fortuna vexat,
Illa prius ſua tela amici
Exercet in cor: quæque tuas petunt
Tormenta fibras, non prius increpant;

Quàm ſeſe amici per medullas
Oppoſitas violenta trudant.
Non eſt amicus, qui cumulat ſibi:
Qui, quando fervent limina gaudiis,
Aſſiſtit humanus; fugitque,
Cùm tragicam quatit ira ſcenam.
Non eſt amicus, quem magis alligat
Auri cupido, quàm ſtudium tui:
Cui commodorum propriorum
Vtilitas faber eſt amoris.
Amor profundo res animo abdita eſt
Factis probatur, Qui ſua negligit,
Tuaſque res curat; nec atrâ
Tela timet furiata cœde,
Rebusque pandit depoſitis ſinus:
Hunc crede amicum; quem Pyladen potes
Complecti Oreſtes, quemque Achillen
Automedon potes arbitrari.

AD JUVENTUTEM.

ODE XXIV.

A teneris duris aſſueſcendum.

LOngum ſupino non benè ab otio
Ordiris ævum, fulgura gloriæ
Quicunque poſcis, quem loquacis
Vrit amor, ſonituſque famæ.
Pulchris honeſtam læta periculis
Impubis ætas gaudeat orbitam
Legiſſe, nec molli reclinet
Colla roſâ, placidoque membra
Componat oſtro. Turpis enertium

Vitæ

Vitæ ſenectus excipit otium.
Quieta vis parum ſepultâ
Deſidiâ, tumulove diſtat.
Mæret ſeverâ nube meridies
Sepultus ignem, quem malè deſides
Duxêre flammæ; veſperâque
Ipſe ſuum lachrymatus ævum
Ignava mæſto ſarcina Nereo
Condetur. Altæ ſemina gloriæ
In flore ſpirant: magna parvas
Bella juvat ſimulaſſe Tigres,
Adulterinæ tollite marcida
Unguenta Cypri: tollite crinibus
Aurumque criſtasque, & jubata
Ludibrium petulantis auræ
Theatra ficti ponite verticis:
Caliginoſum vivere ſanguinem
Si quos pudebit, vel jacentis
Deſidiâ recubare vulgi.
Virtus honeſtam ſanguine Martio
Lectura famam, prælia, funera,
Martemque, Cadmæasque meſſes
A teneris meditetur annis.

AD STUDIOSAM JUVENTUTEM.

ODE XXV.

Virtus Sapientiæ jungenda.

SI quem juvabît ſæcula poſterâ
Fœcunda famâ vi ſapientiæ

Emiſ-

Emiſſe, & altam oblivionem
Ingenii ſepeliſſe laude:
Non ille cæco tecta ſilentio
In jura mundi, certaque fœdera,
Formasque rerum, conditosque
Mente ſagax penetret receſſus.
Quid noctiluco pulchra ſatellite
Illuſtriorum incendia ſiderum,
Quid mutuato Solis igne
Concilium vigilantis æthræ,
Ipſamque Phæbi proderit auream
Luſtrâſſe clarâ in luce ſuperbiam,
Geluque torpentem Bootem, &
Segnitiem glacialis urſæ?
Aut quid tenebris tecta fidelibus
Arcana magni evolvere Numinis!
Scientiarum mole fœtum
Ingenium Sapientis, ægræ
Eſt larva mentis, ſi melioribus
Illuſtre pectus non coquat ignibus
Marita virtus: nec juvabit
Palladiam caluiſſe frontem;
Si mentis abſit flammeus integræ
Vigor. Doloris magna fuit ſeges
Sciviſſe multa, dum repertâ
Sæpè labor face, vanitatis
Se damnat ipſum. non ego mentium
Tormenta veram dico ſcientiam,
Adulta virtus nî Minervam,
Præſidio meliore firmet.

AD

AD MICHAELEM DEVIUM.

ODE XXVI.

Mala conſcientia nunquam quieta.

COnſcium pectus ſceleris patrati
Non ſatis Medis tegitur lacertis,
Nec pharetrati ſatis inſolenti
Tegmine Mauri.
Sive ſe pulchro radiatus oſtro
Explicet Phœbus, medioque cælo
Pendulus frontis cilium ſereno
Comat in auro:
Sive Fortunæ melioris aura
Lenis aſpiret, famulumque menſis
Influat nectar, Phrygioque lectus
Turgeat oſtro;
Semper inſtantis metüit Megæræ
Flagra, & internis agitatus umbris
Parte non ullâ reperit ſerenæ
Munera pacis.
Namque fatalis ſequitur ſceleſtum
Vltio: & quamvis fugiat volantis
Fulminis tædas, tamen ipſe ſeſe
Non fugit ipſum.
Quale portentum, rea mens! nec imo
Æacus tantum metuendus orco,
Aut Avernali Rhadamantus urnâ, aut
Eumenis atra.
Pone eum, motis ubi fluctuantes
Arborum ramis recreantur auræ;

Qui-

Quilibet motus folii tremendum
Fulmen in aure eſt.
Pone, ſecuras ubi molliore
Nereus vento recreat carinas:
Quilibet fluctus necis imminentis
Nunciat horam.
Sic reum pectus ſibi tortor ipſum eſt,
Seque pœnarum cruciat timore,
Tela dum differt, ſequiturque pigro
Vltio paſſu.

AD PHILOSOPHOS.

ODE XXVII.

Sapiens in utraque fortuna conſtans.

NIl eſt, quod Sapientiæ
Munitas animi concutiat fores,
Seu primâ juvenem face
Vultum Mëmnoniis fluctibus exerat,
Seu feſſam tumulet mari
Sol Tarteſſiaco lucis inertiam:
Nec merſus tenebris dies
Nativis animum noctibus obruit;
Nec gemmis radians dies
Conſtantes animos altius extulit.
Quòd ſi diſſociantium
Ventorum pelagus ſeditionibus
Pacem rupit; Eteſiæ
Lambentes iterùm Nerea blandius
Sternent. & levibus jocis
Ibunt Imperii flabilis arbitri.
Si fortuna rotatilis

Fa-

Fatum difficili verterit aleâ,
Spem non projicit invidi
Secura exitii, non penetrabili
Munita auxilio latus.
Quæ caſus gravior tela rotaverit,
Infra conſilium cadent.
Ingentes animos, quos adamantina
Subtexit ſapientia,
Fortunæ jaculum mitius impetit.
Illi fama quatit fores,
Ruptura indecoris lora ſilentii,
Cui ſomnum invidet, & pigræ
Indormire vetat pectus inertiæ, ac
Lentum ducere ſanguinem.
Illum ſors placidis Solibus invidet,
In quem culta Favoniis
Tempeſtas facili lege proterviæ
Formoſas Charites pluit.
Quem nunquam pavidis arma volantium
Tempeſtatibus ignium,
Nunquam fulmineo turbine terruit:
Cenſus ipſe domeſticos,
Et vires animi neſciit. Heu miſer!
Qui nunquam miſer eſt! calor
Mentis carnifices inter inæſtuat.
Virtus fortior emicat,
Quam duris agitant fata periculis.
Radices agit altiùs
Arbor, cùm vario tunditur Æolo.
Tunc quid quiſque queat, ſcies:
Cum vultu intrepidus conſtiterit ſuo.

ODE XXVIII.

A terris ad ſpiritualem vitam converſio.

ASſurgo. Sanctum mutor in alitem·
Valete montes, & juga nubibus
Minata, frondenteſque terræ,
Et vitreæ regionis oræ
Valete. jam me luce ſuperbior
Origo lucis Spiritus evocat,
Verbumque proles æviterni
Ingenii, regerenſque amorem
Nati perennem Spiritus, & Patris,
Aſſurgo. nubes me famulantibus
Portate ventis, & volantem
Cæruleo vegetate campo.
Quod ſerpit infra, mens pede nobili
Excelſa calcat: quod radiat ſupra,
Hoc mentis accendit laborem,
Meque ſuos rapit in calores.
Valere terræ: jam feror alite
Sub aſtra pennâ: jam mihi ſiderum
Theatra panduntur: valete:
Pulchra ſacri juga Olympi avete.

AD LIVIUM CORDUBAM.

ODE XXIX.

Quis Beatus

QUid ſciſſum Myniis per mare, CORDUBA,
Pinum præcipitas, aut Acheloio
Pandis vela furori, &
Calpes littora tranſvolas?

Non

Non Tarteſſiaci viſceribus freti,
Non Ditis Perues abdita montibus,
Non Indis latet alma
Conchis merſa beatitas.
Non hanc Mygdoniis Regnum Alyattici
Campis continuam, non alit Appulus,
Non ſudans laqueari
Aurum ſub Mareotico.
Felix qui potuit Pigmalionios
Censûs, vel Cererem ſpernere Dauniam;
Qui calcare ſuperba
Majorum patrimonia.
Cui non vel Calabri nectaris artifex,
Vel Læſtrygoniâ ſub nive frigidi
Bacchi ſudat amyſtis
Vectigalia Cæcuba.
Hic tutâ poſitus ſede rapacium
Fatorum rabiem deſpicit, & latens
Occurrit Libitinæ
Telo, nec refugit mori.
Illi ſæva dies, mors gravis incubat;
Cui mens Tantaleis ignibus æſtuat,
Quem ſelecta Lucrino
Inflant oſtrea gurgite:
Fumoſasque Patrum cenſet imagines,
Et gaudet famuli faſcibus Imperî,
Qui notus nimis orbi,
Ignotus moritur ſibi.

ODE

ODE XXX.

Aſpiratio ad cœleſtem Patriam.

QVænam ſtelligero labilis æthere
 Lux mì pectora corripit?
Quæ fax ſidereæ filia flammulæ
 Me ſacris cremat ignibus?
Mens deſiderii fertur ab æſtibus
 Supra blanda pericula:
Sirenumque modos, & Siculi freti
 Prædones Acheloidas.
Vror conſpicuis ætheris orbibus
 Extorris patrio ſolo:
Cœli ſidereis uror amoribus.
 O lucens facies poli!
O flammæ vigiles! ô Hyacinthina
 Stellati domus ætheris!
Cur me Dædaleis, heu nimiùm diu!
 Mundi erroribus implicas?
Cur me ſepoſitum terra tenes polo?
 Mendacique bono exſulem
Irrides, ſolidis dum vacuus bonis
 Vror Tantaleâ famê?
Ah ſortis fluidæ lubrica ſomnia!
 Mentem ſolvite compede.
Jam cœli excubiæ, jam vigiles chori
 Arcem pectoris occupant.
Extremum valeas terra, micantibus
 Cœlorum inferor atriis.

AD

AD D. PATRITIUM MOLEDÆUM.

ODE XXXI.

Sapiens in omni fortuna conſtans.

SEu Symplegades ætheri
Spumoſæ rabiem Tethios inferant;
Seu lambant mare Eteſiæ,
Et mollis pelagus ſomnus inambulet:
Æquâ fronte Favonios
Et triſtes ſapiens excipit Africos.
Vidi tergeminâ face
Proſtratos ſcopulos, Acroceraunia,
Arctoosque Hyadum lares,
Cenſus Mænalios, quæque puerpera
Septem Luna Trionibus
Suevit Parrhaſiâ ſub nivium domo
Vectigalia pendere:
Vidi nata Jovis terrificâ manu
Sciſſis fulmina nubibus
Circùm ſulphureis ire volatibus:
Vidi depopulantium
Turmas Thyſſagetûm, Sithonia agmina,
Medi fulgur acinacis,
Telorum pluvias fervere grandines,
Vano ſcilicet impetu.
Quin ſi Dardanio fama Quiritium
Oſtentet Capitolio;
Si per Memnonidum regna, per invium
Cano frigore Caſpium,
Naſcentisque domos Solis, & Heſperi

Pan-

Pandat limina gloriæ,
Fortunæ impavidus munera deſpicit.
Ac qualis Siculo vaga
Ponto præteriit cantum Achelodum
Regis Neritii ratis;
Talis præcipiti haud credulus aleæ
Nomen calcat inutile
Prudens, nec precium ponit honoribus,
Qui nunquam ſtabili ſedent.
Defixi ſolio. Sollicitudines
Oſtro ſub Tyrio jacent,
Pallenteſque metus: Pergama Mempheos
Riphææque eboris nives,
Et quidquid Phariis, aut Mareoticis
Vivit poſtibus illitum,
Fortunæ ambiguis caſibus objacet.
Quidquid mole ſupercilî
In pulchram invidiam ſidera provocat,
Claudent fata cataſtrophe.
Nempè & marmoribus funeris ultimum
Dixit tempus edax diem,
Annoſaſque patrum rodit imagines,
Et fumò nigra ſtemmata.
Iunctas invidiæ tempus habet faces,
Præclariſque laboribus
Reſtant interitus: fortè nec Heſperum
Cernent, quæ juvenis ſtupet
Titan ſidereis mixta penatibus.
Vnus funeris ultimi
Liber Patricius fræna rotatili
Fortunæ injicis, arbitræ
Ludentis dominus non humilis Deæ;

Et quâ fronte Favoniis,
Hac prodis decimis fluctibus obvius!
Par ſemper tibi, ſeu tegat
Cœlos imbricitor, ſive Dieſpiter.

AD EUNDEM.
ODE XXXII.

Vera Beatitas in Sapientia.

TRibuta Nili tollite, tollite
Auri cavernas nobilis obſides,
Tyrumque, divitemque Cretam,
Tolle tuos Genoëſſa cenſus.
Tolle invidendos Cœlitibus lares,
Injurioſo quos pede dirutos
Fortuna calcat, dum ſeverâ
Fronte minax caperavit ora.
Plerumque magnis caſibus objacet,
Quidquid tumentis nube ſupercili
Deſpectat orbes, vel Deorum
Concilio ſua colla miſcet.
Cœlo minantis tecta Numantiæ
Senſêre verſis turribus impetus
Rhamnuſianos, cum tonitru
Mœnia diſſiliêre Martis.
Carthaginenſes, heu! malè mœnia
Tutata cives; & Babilonii
Ruêre muri, cùm triſulcæ
More volans Macedo procellæ
Graſſatus armis, diſſociabiles
Exaſperatæ, mentis Erinnides
Spiraret, & majore nimbo

Fulmineum daret ire Martem.
Ardente Trojâ depopulantibus
Fit præda flammis Laömedontiæ
Pompæ lacunar, & corona
Oebalio malè fulta ſaxo.
Sic alta clades exitiabili
Torrente inundat Pergama: turgidos
Quos attulit Mater, noverca
Sors eadem rapiet cothurnos.
Quid denſa circùm turba clientium,
Aut flexa pronis Roma ſecuribus
Felicitatis addet? æquâ
Lege movet gravis urna Craſſi,
Irique casûs. Et timor, & minæ
Sedent eodem, quo Dominus loco.
Seu prædâ odoris, ſeu tumeſcat
Lectus Achæmenio apparatu;
Altis Quiritum pervigil incubat
Fortuna ſtratis: ceſpite durior
Eſt pluma Regi, quam canino
Cura vigil laniat remorſu.
Quid ſculpta vivo nomina marmore,
Aut fama vivens ſub Libanitide
Cedro beabit? quid Myronis
Dextra tuos fabricata vultus?
Exeſto luxus; non benè nominis
Avarus emptor; non benè honoribus
Felicitatis nundinator
Inveniet requiem paratis.
Hac ite, quâ ſe Palladis artibus
Nixus, volatu non humili rotat,
Ventisque fractis intrat hoſpes
Si-

Sideream MOLEDÆUS aulam.
Hoc vera manat fonte beatitas
Major ſepulchro, funeris ultimæ
Ignara flammæ; quam nec ætas
In cineres, neque ſors reſolvet.

AD EUNDEM.

ODE XXXIII.

Ejuſdem Argumenti.

SOrtem deficientibus
Annis præcipitem pulvere Olympicæ
Immutas ſapientiæ.
Quæ poſſunt adimi ſeditionibus
Fortunæ, melius cares.
Non mentem Libyci fœnoris horreo
Condis, non Alyatticis
Aut fulvis Arabum conditionibus.
Quid ceræ memores Patrum?
Quid moles Tyriæ? cædua quid Paros,
Aut arces Babiloniæ?
Quid Regum trabeæ? vellera Colchidos,
Quid vaſa Antipodum juvent,
Mittis ſollicitus quærere. Non beat
Aurum Tantaleam ſitim,
Nec terris alio Sole calentibus
Adductæ ſpolium Rheæ.
Auratum ſequitur cura periculum.
Quò ſors altiùs evehit
Fultum divitiis; hoc gravioribus
Curis dilaniat fibras.
Qualis lethiferis vipera morſibus

Maternos laniat ſinus.
Nec quærit tiliis vivere poſthumis,
Aut afflare Corinthiis
Vitam marmoribus, quem ſapientia
Terræ nubibus eximit,
Ac per ſiderei Dædala balthei
Donat mœnia, & igneas
Arces emeritis ire volatibus.
Hic & Terrigenûm probra,
Sortis ludibrium, & vana crepundia,
Fucatasque negotiis
Fraudes, & miſeris non medicabilem
Fortunæ rabiem vides,
Ac qualis roſei fax Hyperionis
Ridentes Acheloides,
Et motum pavido turbine Nerea,
Blandis Tyndaridas genis,
Spirantisque minas fulgur Orionis,
Et triſtes Hyades videt;
Nec fuſam roſei muricis ignea
Frons terrâ maculam trahit.
Talis Pyramidum Mempheos ardua,
Mauſolique tumentia.
Rides non humili pegmata lumine,
Sceptrorumque potentiam,
Pæſti luxuriam, ſemivirûm decus,
Medi vulnera corticis,
Et merſum Phario pectus in unguine,
Illuſosque vaporibus
Sponſos Penelopes, Alcinoi genus;
Quêis cervix Bromio madet,
Et cirrus pluviâ ſtillat amaraco.

Hic

Hic Soles niveos trahis,
Dum ſervans oculis aſtra ſequacibus
Æternis animam bonis
Ardentem ſatias, quæ ſapientia
Pleno ſuggerit alveo;
Quæ vel poſt cineres fata nepotibus
Tranſcribent imitantibus;
Vel Dii ſidereis ſedibus inferent.

AD FLAVIUM DORIUM.

ODE XXXIV.

Aetati juvenili non fidendum.

FLAVI, Juventæ deſine credere.
Ut æſtuoſi Solis ab ignibus
Roſeta, lilieta, & omnis
Forma cadit morientis horti;
Sic illa vultus purpura, lacteus
Color genarum, blanda ſupercili
Iris, labelli purpuriſſum,
Gemma oculi gemina interibit.
Parcus colori crede: mero ligat
Errore mentem. ſpondet amabilis
Auræ duellum; ſed protervos
Fortè dabit Boreæ furores.
Riſum propinat, ſed lachrymabiles
Sequentur imbres. ſæcula ſupputat;
Sed raptat ætates, & annos
Præcipitat fugiente paſſu.
Parcus Juventæ crede. Volantia
Ruunt citato tempora Pegaſo
Avara mortis, nec cadentem

Ulla diem tenuére lora.
Præoccupantem tempora ſedulâ
Virtute laudo. Non tibi ſæcula.
Promitte ab annis. Si in ſenectam
Judicium puerile trudas,
Virum negabo. Non faciunt virum
Devexus anni tranſitus, aut gena
Veſtita barbâ, non ſenilis
Canities inhonora menti.
Matura virtus, neſcia temporis,
Ætatem honeſtat. ſit juvenilior
Lanugo in ore; dum ſenectæ
Eripias grave pondus oris;
Senem fatebor. Vincere moribus
Ipſos Catones, fingere pectora
Prudentiæ ad normam; modeſtum
Alloquium, placidique geſtus,
Linguæ diſertum flumen, & eloquî,
Et mens amici conſcia Numinis,
Innube per frontem ſerenum,
Intrepidi generoſa cordis
Scintilla, frontis terſa modeſtia,
Et ſola virtus: hæc faciunt ſenem.
Vixiſſe vis diu? juventæ
Ingenium moderare preſſo
Victor lupato. Non fugientibus
Ætatem ab annis, ſed meritoria
Virtute penſa: ad hujus acta,
Ac numerum numeremus annos.

AD

AD LÆVINIUM.

ODE XXXV.

Caduca bona deſpicienda.

VIdes, ut anni volvitur orbita,
Dieſque noctem, noxque fugat diem?
Menſeſque vernantis juventæ
Pegaſeis rapiuntur alis?
Vndæ recedunt prætereuntibus
Lapſæ ſuſurris. Ver hyemem fugat,
Autumnus æſtatem, fugaces
Nulla dies remoratur annos.
Nihil perenne eſt. Æacus omnium
Concuſſit urnam: purpura Cæſarum, &
Irus lacernoſus quadrigis
Proteritur fugientis horæ.
Sic quidquid ortum eſt, exitus occupat,
Premitque finis: tendit ad Heſperum,
Titan Eous: in ſenectam
Præcipiti ruimus volatu.
Felix, doloſis qui potuit Mydæ
Mentem implicatam ſolvere cenſibus,
Et cui ſuperbum dente Lydo
Pectora non rapuit lacunar.
Non ille, quamvis infima miſceat
Fortuna ſummis, & trabeam levi
Mutet lacernâ, mentis altæ
Abjiciet timidus ſecures.
Non ille curru temporis aufugi
Tritus gemiſcet; fronte ſed ultimam
Horam ſerenâ, celſiore

Ex animi ſpecula videbit
Interritus: ſeu venerit hoc die,
Seu cras, paratus cedere, cùm volet
Tonans, nec annos longioris
In precio numerabit ævi.
Volantis ergo ne pede temporis
Premâre, lapſum temporis occupa
Virtute. Virtus ſola, mundi
Interitu nequit interire.

AD FORTUNAM.

ODE XXXVI.

Vale Fortunæ.

SAtis cachinni eſt: cede volatilis
Regina, fluctus quæ regis Antii.
Quid avolantem me caducis
Deliciis malè fida tentas?
Afflabis auro? jam melioribus
Votis benignus me cumulat DEUS,
Et largiùs veris capacem
Divitiis animum beavit.
Non impotentis fræna libidinis
Mordebo avarus lucis, & Imperî
Procus, nec aggeſtum Phraatæ
Oceani precium æſtimabo.
Inefficaci parco pecuniæ
Litare, matri ſollicitudinum:
Congeſta torquet ambulantem:
Vita brevis breve poſcit aurum.
Regum propinas oſtra, & eburneum
Pulvinar? oſtrum quod dominus premit,

Pre-

Premunt timores: quamque cingit,
Torquet idem diadema frontem.
Quid tecta cœlis Dædala porrigis?
Non lævigato gloria marmore
Sincera creſcit, ſed nigrantes
Ipſa ſuo domat igne noctes.
Quid mi voluptas? Dulichii Ducis
Me prora terret: blanda pericula
Jocoſa Siren mentietur,
Ut pelagi tumulemur undâ.
Par eſt Hyænæ: inſtillat amabiles
Lævâ ſopores, ſed necat alterâ,
Brevemque ſomnum, mortis atræ
Continuat graviore ſomno.
Non ſerviemus. cedite pondera
Onuſta curis, me ſuper auream
Sortem metallorum ſub aſtra
Certa vehet ſine nube virtus.

AD R. D. SEBALDUM SÖLDNER,

CANONICUM HERBIPOL.

ODE XXXVII.

Cùm Theologiæ Doctor inauguraretur.

QUem veſtigia vitrei
Collegiſſe juvat fontis, & æmulis
Ripas paſſibus inſequi;
Ad magni ſocius fluminis oſtia
Certo perveniet pede.
Qui ponti ſatagit curſibus obſequi,

Atque ut Typhis euntia
Obſervat ratibus vitra ſequacibus,
Illum fida natantium.
Inducent pelago ſomnia fluminum,
Quà ſe littoris immemor
Immenſo cumulat Nereus æquore.
Talem nuper amabili,
SEBALDE, imperio te Sapientiæ
Torrens vexit in æquora.
Vix caſto genitum ſuſtulerat ſinu,
Cùm ripæ ſtetit ad vitrum,
I, dixit, tenues unda ſcientiæ
Quà ſe fundit in alveos,
Mentem ſolve jugo mollis inertiæ, &
Dulces illecebras fuge,
Ætatis Zephyrus dum favet, auraque
Vernis Solibus intepet,
Rivorum ſtrepitum prætereuntium
Undoſam ſequere orbitam.
Poſt mentem ingenuis auctus honoribus
Exemptus popularibus
Undis, Philoſophi fluminis accola
Veſtigabis euntium
Stellarum choreas, nomina ſiderum,
Sudantemque laboribus
Solem perpetuis, atque paventium
Inter fulgura nubium
Horrendos tonitrus, ebria condito
Auro viſcera montium,
Et quidquid cupidum nominis, abditum
Naturæ latet in ſinu.
Tunc criſpabilibus pulſus Eteſiis

Arca-

Arcani mare Numinis
    Intrabis, tacito tecta ſilentio
Divinæ Sapientiæ
    Conſultus reteges. Quæ Dea dixerat,
Nos ſpectavimus. æquore
    SEBALDE, in medio, nil timidus rati,
Cedis lina Favoniis.
    Et mirum! medio portus in æquore eſt:
Hic ſeu carbaſa turgeant,
    Ventis ludibrium, ſeu pigra pendeant
Tranſtris, ſemper amabili
    Navim pace quies tuta perambulat.
Quin ſi hoc mergeris æquore,
    Emergis pariter, mergere; poſcimus:
Ne tingare ſcientiâ,
    Mergaris, voveo! portus hic ultimus
Mergi hoc poſſe ſub æquore,
    Abſorptumque mari condere ſpiritum.

AD MORINONIUM.

ODE XXXVIII.

Contra vanam & ſæcularem ſcientiam.

QVid diu vanis agitatus umbris,
Occupas fictis animum figuris,
Teque fallaci, cupidus ſciendi,-
    -Errore fatigas?
Quæris, errantes ubi Dux Vlyſſes
Egerit naves? dubiæ an Charybdis
Turbine implexus, Siculæve Syrtis
    Senſerit æſtum?
Hoc MORINONI potiùs require,

Parte quâ ſiſtas ſtabilis, nec erres
Ipſe, jactatus malè turbinante
Mentis amore.
Conſonos vocis gravis ac acutæ
Me doces flexûs: doceas nocentes
Cordis affectus, animique concor-
-dare tumultus.
Flebiles vocis mihi congementis
Ingeris ductus; retinere fletum
Inter adverſas potiùs procellas
Diſcere malim.
Mox Geometres inaranda campo
Puncta diſtinguis; ſpaciumque vaſti
Ruris in parvam graphicis tabellam
Ductibus aptas:
Scire ſed malim, quibus expleatur
Ambitus mentis, patulique vaſtus
Cordis excurſus, ſitiensque avari
Pectoris hydrops.
Curta diſtendis, ſinuasque longa,
Ampla condenſas, trahis in rotundum
Quadra, diſcindis benè copulata,
Diſſita jungis:
Mitte curarum vacuos labores;
Hoc age, ut diſcas hominem æſtimare,
Noſſe, quàm magni tibì, quàm ſit arcti
Area cordis:
Scire quid ſupra mediocritatem
Spumet, aut infra jaceat ſupinum,
Quavè ſe duci patiatur arte
Linea recti.
Quid fatigantem juvat in Stagyræ

Jur-

Jurgiis tuſſim ſibi procreare,
Perque digeſtas vacui latebras
Arma rotare?
Otium impulſæ magis ambiamus
Mentis, & triſti vacuum duello
Pectus, & puræ miſeris negata
Gaudia mentis.
Scire quid prodeſt, an Olympus alâ
Unius muſcæ valeat ligari?
An repercuſſus lapis in reflexûs
Axe quieſcat?
An pulex poſſit bibere Amphitriten
Adriæ? an totam lacerare terram
Tuſſe, vel mundum ſaliendo ab imâ
Sede movere?
Mitte ſectari leviora, quorum
Fructus eſt riſus: ſuperasque temet
Arrige in curas, ubi vis bonorum, &
Copia manat.

AD R.D. MAXIMILIANUM ENGELHARDT.

ODE XXXIX.

Cùm Sacerdotio initiaretur.

QUemcumque mendax fama Quiritium
Per regna mundi, per Libycas plagas,
Canique frigus per Boötæ,
Et rigidas Aquilone gentes
Inuſitatis vecta volatibus
Perennitati dedicat aureæ,

Parte quâ ſiſtas ſtabilis, nec erres
Ipſe, jactatus malè turbinante
Mentis amore.
Conſonos vocis gravis ac acutæ
Me doces flexûs: doceas nocentes
Cordis affectus, animique concor-
-dare tumultus.
Flebiles vocis mihi congementis
Ingeris ductus: retinere fletum
Inter adverſas potiùs procellas
Diſcere malim.
Mox Geometres inaranda campo
Puncta diſtinguis; ſpaciumque vaſti
Ruris in parvam graphicis tabellam
Ductibus aptas:
Scire ſed malim, quibus expleatur
Ambitus mentis, patulique vaſtus
Cordis excurſus, ſitiensque avari
Pectoris hydrops.
Curta diſtendis, ſinuasque longa,
Ampla condenſas, trahis in rotundum
Quadra, diſcindis benè copulata,
Diſſita jungis:
Mitte curarum vacuos labores;
Hoc age, ut diſcas hominem æſtimare,
Noſſe, quàm magni tibì, quàm ſit arcti
Area cordis:
Scire quid ſupra mediocritatem
Spumet, aut infra jaceat ſupinum,
Quavè ſe duci patiatur arte
Linea recti.
Quid fatigantem juvat in Stagyræ

Jur-

Jurgiis tuſſim ſibi procreare,
Perque digeſtas vacui latebras
Arma rotare?
Otium impulſæ magis ambiamus
Mentis, & triſti vacuum duello
Pectus, & puræ miſeris negata
Gaudia mentis.
Scire quid prodeſt, an Olympus alâ
Unius muſcæ valeat ligari?
An repercuſſus lapis in reflexûs
Axe quieſcat?
An pulex poſſit bibere Amphitriten
Adriæ? an totam lacerare terram
Tuſſe, vel mundum ſaliendo ab imâ
Sede movere?
Mitte ſectari leviora, quorum
Fructus eſt riſus: ſuperasque temet
Arrige in curas, ubi vis bonorum, &
Copia manat.

AD R.D. MAXIMILIANUM ENGELHARDT.

ODE XXXIX.

Cùm Sacerdotio initiaretur.

QUemcumque mendax fama Quiritium
Per regna mundi, per Libycas plagas,
Canique frigus per Boötæ,
Et rigidas Aquilone gentes
Inuſitatis vecta volatibus
Perennitati dedicat aureæ,

Olim loquaci nominandum
Praxitelis ſimulantis arte:
Quamvis cruentos miles acinaces
Lætetur inter, fortior arduas
Obire turmas prælîantum,
Et galeis, clypeisque longè
Clarus videri, & celſus aheneis
Horrere ſquammis Marte ſub æreo,
Victorque proculcare faſces
Suppoſiti pedibus Tyranni:
Non ille certus diſſociabiles
Exulcerati Martis Erynnides
Vitabit, aut circumſtrepentûm
Ludibrium fugiet dolorum.
Nec Dædaleo pectoris impetu
Effulgurantûm mœnia ſiderum,
Arceſque ſtellarum coruſcas
Icario penetrabit auſu.
At quem beatis dives odoribus
Delapſa cœlo Rêlligio potens
Furata telluri profanæ
Malobathro meliore tinxit:
Quò concitato remigio meus
MAXIMILIANUS ſub pedibus pigram
Temnens volatu terram, & urbes
Sidereæ novus hoſpes aulæ
Exerrat? Illum per liquidum æthera
Tranare nubes, & levibus ſuper
Pendere ventis, & ſereno
Relligio dedit ire cœlo.
Illi curules flammeus ætheris
Dictator ignes ceſſit, & aureum

Jubar,

Jubar, quadrigarumque lora
Cynthiacâ moderanda dextrâ.
Quæ Boſphoranâ terra Propontide
Diviſa, vel quæ diſſociabili
Secreta Tethi, decolorvé
Æthiopum plaga barbarorum
Cœlo refuſi Solis imagines
Non vidit? ô quà gemmea Nereo
Tributa dives ſolvit Indus,
Quâ famulo Tagus amne vectus
Ludit ſmaragdis prætereuntibus,
Spectate Titan! te tumidus procul
Ganges ſalutat, ultimumque
Memnonii penetrale mundi.
Te bellicoſis edita partubus
Caliginoſi filia Tænari
Perculſa febrili pavore
Umbra fugit trepidante paſſu.
Teſtes mearum prodigialia
Sententiarum monſtra, Acherontici
Partus, triumphandusque quondam
Marmaricis leo paſtus umbris,
Quem fulminatis Acroceraunia
Dejecta telis, vel Rhodopes juga,
Cœlove quaſſæ fulminante
Æmathiæ perperêre rupes,
Immanis anguis, quem Tigris Armenis
Effudit oris, quem maris expuit
Iratus ardor, quem Megæra
Eumenicis animavit antris.
Fruſtra ille ſævæ dux ſapientiæ
Exæſtuanti fræna licentiæ

Fremens

Fremens remittet, & venena
Cerberiis animata ſpumis,
Umbramque Lethes progenitam ſatu
Tentabit audax immiſerabili
Inducere orbi, viperinum
Concilium ſcelerumque noctes.
Novo reductus Cynthius eſſedo
Fugabit Orco nata volumina,
Stygemque, flammatumque in iras
Tartareis Acheronta tædis.

Ad Reverendiſſimum

D. ANTONIUM MARENZIUM, PETENÆ EPISCOPUM.

ODE XL.

Cùm vitam SS. Nicephori M. & alterius Epiſcopi ſcriberet.

MARENTIORUM Phœbus, amabile
Sidus tuorum, cui charis eloqui
Nectar propinavit, gravique
Suada dedit fluitare motu
Sententiarum; ſive volubili
Exæſtuantis fonte opulentiæ.
Bacchatus acres efferatis
Injicias animis lupatos;
Seu copioſo fuſilis alveo
Damnata ſomno pectora ſuſcites
Torrente, mirantûmque ſecum
Lingua oculos animoſque volvat.

Quin

Quin temperatu ſonte opulentiæ
Gratum Quirinis auribus influis,
Facundiæque Barberinis
Mella apibus riguæ propinas.
Romana teſtis ter gemino potens
Honore Mater; teſtis Hymettiâ
Sonans volucre Vaticanum, &
Virgineæ Ambroſiæ parentes,
Quæ, Circiorum luxuriantibus
Tumultuosâ fronte Decembribus,
Vectigal Hyblæ, dona Pæſti,
Mella tuis reperêre labris.
Non tum curuli nube Favonius
Nimbos pluebat Chloridos in ſinum;
Nec liliato grandinabat
Præteriens Zephyrus tributo;
Non temperato Veris anhelitu
Brumæ evolutus Majus inertiâ
Criſpabat hortos, nec tepenti
Ambroſiam pariebat aurâ.
Sed eloquentem Suada coloribus
Ornata frontem, & pulchrior aſpici
Facunda Mater eruditum
Eloquii reſeravit hortum;
Quem Romulæi Principis atria,
Et Vaticanæ ſidera gloriæ,
Mirata, quem centum Quirites
Attonito ſtupuêre vultu.
At dum ſepultum Nicephorum eruis
Oblivioſi pulveris angulo,
Placet vetuſtas, veritatis
Simplicior genitrix latentis;

Quæ dum malignâ Nicephoros jubet
Blattæ vorantis nube ſuperſtites,
Tergitque adeſis incubantem
Canitiem, cariemque libris.
Tuis novato nomine laudibus
Virtus laborat, quam notat æmulo
Honore fama, dum tuorum
Nicephorus redivivus audis.
Te grandiorum munera frontium
Lambunt coronæ, te nivei tegunt
Mores avorum, quos acerbo
Dente pavet temerare livor.
Te mille circum ſpes Petenæ volant,
Pronoque ſacras Iſtria pectore
Vittas veretur, ſubditumque
Gaudet humi poſuiſſe vultum,
Secura læto pacis in otio
Promiſſa pro te vota fidelibus
Aris rependens, & parenti
Canitiem Superos precata.

AD S. NICEPHORUM MARTYREM.

ODE XLI.

Cùm hujus vita à Reverendiſſimo D. Antonio Marenzio ſcriberetur.

VIctorioſi nominis omine,
Puroque fuſi murice ſanguinis
Decore Martyr, dum Deorum
Sidereo bibis ore nectar,

Avara

Avara famæ, lucis & appetens
Membrana denſo pulvere condita
Paſcit vetuſtatem, & voraci
Charta putris jacet eſca blattæ;
Obliviosis ſquallida nubibus
Ævi invidentis pagina ſæpiam
Extinguit omnem, dum vetuſta
Tempus edax monumenta rodit.
At non inultè? jam tacitis cadet
Senecta libris, jam nitor eximet
Oblivioni, jam ſepultæ
Pulvereâ malè nocte laudes
Diu negatam deſidiâ diem
Tandem videbunt; famaque eburneo
Superba curru poſterorum
Nicephorum memorabit ævo.
Quin & vetuſtas ambitioſiùs
Ornata criſtam dum ſimulat novæ
Florem juventæ, FERDINANDI
Cæſareis oculis legetur.
Tantum vel atri nocte ſilentii
Juvat profundùm nominis aurei
Dormiſſe famam, vel ſepultas
Pulveribus jacuiſſe laudes.

AD SS. NICEPHORUM MART. & EPISCOPVM PETENÆ PATRONOS.

ODE XLII.

DIVI ſerenis Indigetum choris
Inaugurati, quos genibus minor

Flavona

Flavona adorat, quos Sabæo
Nympha colit Petenæa thure:
Vobis calentes Arſia limpido
Curſu procellas volvit, & arduo
Sub monte pronus blandiente
Exuvias veneratur ore;
Vobis dicatis templa vaporibus
Gallinianum fumat, & Indicas
Albona conflat, ſumptuosâ
Meſſe Arabum, Cilicumque, nubes.
Cunis reclines vos puerilibus
Benè ominati nominis aureo
Virtus coronavit decore:
Nam teneras animabat ardor
Jam tum medullas, & vagus igneo
Pectus cremabat ſpiritus impete,
Laudesque maturas tenello
Prima dies ſimulabat ore.
Hinc turpe factum vivida nominis
Exoſa virtus, vertice pendulas
Laudes precatur, Laureisque
Geſtit ovans caput impedire.
Alter, Tiarâ jam popularibus
Exemptus undis pervigiles agit
Curas ſuorum, datque Aſylo
Grande pedum, Tyriasque vittas,
Aduſque famæ dedecus invidæ;
Quæ viperino dente momorderat
Vitam innocentis, ad tribunal
Auſa reum ſceleris notare.
Sed nempè virtus invidiâ altior
Tutata ſeſe eſt, quando reconditas

Citavit

Citavit undas, aut volantes
Flexit ad arbitrium columbas:
Aut cùm perempti prodigialia
Luens aſelli funera, ſarcinam
Suſcepit urſus, nec reluctans
Sollicitâ tulit arte pondus.
Alter ſeveris meta furoribus
Invicta perſtat; fulmina verberum
Jocis honeſtans, & cruorem
Vulneribus fluitare gaudet.
An & decoræ proſtituit caput
Venale morti, ſanguine poſthumæ
Empturus umbellam coronæ,
Quam ſuperæ parat orbis aulæ?
Sic eſt, Olympus NICEPHORO excitus
Spectator almi funeris advolat,
DEOQUE ſcenam, Cœlitumque
Grande choris aperit theatrum.
Hæc terra vidit: cætera patriis
Virtus Deorum ſedibus intulit.
Quamvis nec indignata cœlo
Sæpè ſuam Petenam benigno
Vultu tueri, quem bona ſiderum
Iris notaret, longaque frugibus
Ceres præiret, belluoſi
Terga premens peregrina monſtri:
Quod de Pelaſgis tractibus aufugum,
Ubi tumentis terruit Iſtriæ
Lacus, agris deſideratam
Temperiem revocat böatu.
At vis, & atræ diffugiunt neces,
Horrorque tortor jam morientium,

Livens-

Livenſque, qui per membra fuſus
Antevolat ſua fata, pallor.
Uterque amici numine pallii
Cuſtos clientem protegit Iſtriam;
Seu Mars minetur, Arſiamque
Turbet equis, galeâque potet;
Seu cincta morbis peſtis anhelitu
Inceſtet auras, & morientium
Tumens acervis in propinquas
Excidium meditetur oras.
Sic vos ſub umbrâ nominis inclytam,
Tutamque, Divi, protegite Iſtriam;
Sic illa ſemper fundet aris
Thura piis cumulata votis.

AD S. NICEPHORUM EPISCOPUM.

ODE XLIII.

Cùm Reverendiſſimus D. Antonius Marenzius ejus vitam ſcriberet.

NIvens verendâ canitie Senex,
Liguſtra vultum, lilia verticem
Indute PRÆSUL, cui fidele
Diva genu Petenæa lunat:
Quem lapſa cœlo gloria patrio
Terris ademptum marmoreas ſuper
Locavit aras; cui tiarâ
Gaudet honor redimire frontem:
Injurioſo ſurge ſilentio,
Orbique laudes, non meritas mori,

Tuas

Tuas recenſe, quas parentum
Poſt decimi ſtupeant nepotes,
Natisque narrent, Audior! Audior!
Denſo ſedentem pulvere ſuſcitat
Antonius, Marentianæ
Grande decus columenque gentis.
Hinc læta curru fama volatili
Latè per orbem ſparget amabile
Nomenque laudesque, & remoti
NICEPHORUM plaga diſcet Orbis.
Fortè & lacunar culminis editi
Vitare ſuetus, publicus audies
In Sole civis; fortè quondam
Auſtriacis adamatus aris
Noſcêre magnus, cum melioribus
Palmis onuſtus nomina Cæſari
Donabis Auſtrio, & vocari
NICEPHORUS volet Imperator.

Ad Reverendiſſimum Dominum

ANTONIUM MARENZIUM

PETENÆ EPISCOPUM.

ODE XLIV.

PArum otioſâ diſtat inertiâ
Quieta Virtus. Progenies Deûm,
Materque honoris, per viarum
Difficiles agitatata tractus,
Alto ſedentem culmine gloriam
Impendioſæ merce moleſtiæ

Emit

Emit: reluctantemque Calpen
Conſiliis, animoque frangit.
Hæc te, lupatis impedientium
Sciſſis morarum ſeſſilis otii,
Vittis coronat, hac perennis,
Laudis iter duce ſorbuiſti.
Scit pulcher undis Adria vitreis,
Et adjocantis murmure Nerei
Pulſata Tergeſte, tuensque
Nereidum fabuleta Juſtus:
Scit Græcienſis Mercurialium
Metas laborum Palladis area;
Quæ nundinatorem decori
Nominis egregiâ revinxit
Laudum coronâ. Quid memorem improbæ
Dentes retuſos invidiæ retro
Ceſſiſſe, cùm frontem tiaras
Emeritâ redimiret umbrâ!
Illuſtrius ſe ſcilicet exerit
Virtus per omnem exercita ſemitam,
MARENZIANA, quam obſoleto
Quæ latuit pudibunda tecto.
I nunc, profanas te populi ſuper
Molire turmas, quâ radiantium
Ordo coronarum requirit,
Non humilem redimire frontem.

ODE XLV.

Privatam fortunam magnæ prævalere.

QUiſquis coronæ pulcher in ignibus
Cæſar ſuperbis, quem venerantium

Turbæ

Turbæ Quiritûm collocatis
Agminibus famulæ ſequuntur;
Quamvis Lacæno vulgus in atrium
Achate ſtratum confluat, & ſtrepant
Circùm coronatis clientes
Officio famulante turmis;
Non es beatus. Tot populis malè
Fides habetur. Mygdonios tenet
Poſtes Erynnis; cum recluſis
Cardinibus patuere valvæ,
Simul paratis fit via fraudibus,
Simul furores, invidiæ, & doli,
Diſcordiæ, luxus, libido,
Ambitio popularis auræ,
Globis coactis protinùs irruunt.
Multi clientes, in tua funera
Sunt muſtus hoſtis. Non amatur
Rex, ſed amantur opes. Trahuntur
Nitente plures à diademate,
Aulæque gemmis; quam ſui amoribus
Regis: coluntur, quò terantur
A populo Domini rebelli.
Nam quanta Regum funere pars ſuo
Elata, fatis illachrymabilem
Placavit orcum? quot cruento
Invidiæ cecidêre ferro?
Quos Phæbus alto pendulus æthere
Vidit ſuperbos, luna ſilentio
Mirata ſtratos vidit aulæ
Alterius famulante collo
Subire lorum. Proſperitas ſenex,
Immane monſtrum eſt. Nec Zephyri joco

Ludunt perenni ; & ſæviente
Urſa graves Aquilone ſæpè
Trahit Decembres. Sors variat vices.
Quicunque certo tramite devius
Exerrat, ille inauſpicatâ
Carpet iter malè ductus orâ.
Teſtis meorum, flectere debilis
Patris jugales, ſit Phaëton puer
Oraculorum : dum errat aſtris,
Aſtra ſimul trahit in ruinam.
Teſtis volucres Dædalides ſuper
Volare pennis gnarus : inobſequens
Mandata dum ſpernit monentis
Patris, & ignivomo calori
Solis propinquat, brachia defluis
Ceris madeſcunt; labitur æthere,
Nomenque, famamque, & calorem
Icarias tumulat ſub undas.
Sic caſus altis fortior incubat.
Stet, quem juvabit, culmine lubrico
Potentis aulæ: mî clientum
Nulla retro famuletur unda.
Tutum eſt, propinquam lambere Nereo
Tumente ripam. Tollite flamina
Nati Trionum, ſæva proles,
Ne decimo rapiamur æſtu.
Fortuna littus mitior impetit;
Altum fatigat: parcior in levem
Ruit phaſelum, ſed ſecundis
Officiis pelago natanti
Claſſi minatur : Laomedontias
Fortuna puppes, non humilem quatit

Ratem

Ratem procellis : ſic malignus
Magna furor trahit in ruinam.

AD VIENNAM.

ODE XLVI.

Poſt bella rus invitatur, ut Paſtorem accipiat Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. D. PHILIPPUM FRIDERICUM BREUNER.

O Auſtriorum progenies Deûm,
Alumna cœli, Patria Cæſarum,
Ocelle mundi, fax Quiritum,
Archiducum generoſa proles,
VIENNA Princeps : jam ſatis algidâ
Apeliotæ preſſa tyrannide
Brumam bibiſti : ſat Boruſſæ
Gentis hyems Scythicaque canum
Crinem gelatus grandine Circius,
Tumensque fluctu Sarmatico Nothus
Terras flagellavit : ſat iræ
Parrhaſiis cecidêre plauſtris.
Accede lætis, jam bona ſidera
Fratres Lacænæ triſtè minantium
Ponti tyrannorum furores
Oebaliâ pepulêre tædâ.
Accede lætis, prætereuntium
Quâ blandienti ſilva proterviâ
Favoniorum gloriatur,
Quâ Zephyri genialis aura
Theatra vivi Veris inambulat,
Omnemque ſpargit prodiga gratiam,
Ad uſque formoſam Canopi

Invidiam, Tyriique Veris.
Si quem bidentûm nobilium Patrem
Undantis inter diluviem gregis
Gaudes videre, in quem reclines
Grande pedum, vigilemque virgam,
Succedat agris, neu pudeat gregem
Paviſſe. quondam ſceptra Quiritium,
Romæ ſecures, Conſulumque
Rura decus genuêre faſces.
Inter bidentes Dardana Romulo
Argenteorum ad Najadas amnium
Crevêre ſceptra; cùm repentè
Virga novo rutilavit auro
Magiſtra juris, colla Quiritium
Flexura nutu, cûi vaga Fauſtuli,
Armenta parebant, levemque
Ad ſonitum pecus omne ſtabat.
Non & ſaginans Inachiæ gulam
Argus juvencæ dedecus exuit
Mortalitatis, ſiderumque
Concilio radiare cæpit?
Quin & Pheræos Bæbeidis gregas
Obaudientes barbito Apollinis
Amphryſe vidiſti, nec aureûm
Dedecuit pecuare Phœbum.
Virtus ab herbis non minor emicat,
Quàm quæ Gradivi pulvere naſcitur.
Nec corpus æquè contudiſſe,
Ac animos aluiſſe, laudo.

AD FERDINANDUM III. ROM. IMPERATOREM,

ODE XLVII.

De Auguſtiſſimi Parentis FERDINANDI II. *in Muſas liberalitate.*

AVara qualis prætereuntibus
Gemmis Hydaſpes littora perſonat;
Et rura Medûm bracteatâ
Alloquitur pretioſus undâ:
Aut qualis auri prodigus oſtio
Septemplicato Nereidum Patrem
Nilus ſalutat, vel tributum
Heſperio Tagus amne volvit:
Talis Latinæ Pergama Palladis
Auri natantis nimbus inambulat;
Quem liberali FERDINANDI
Prona manus dedit ire fluxu.
Ad Bactra dudum, aut diſſociabili
Abſciſſa ponto regna Britanniæ,
Bungosvé, frigentesque Thracas,
Aut Tanain prope flumen ortos
Abiſſet exul Pallas, amabili
Stipata doctæ Mnemoſynes choro;
Si non fugacem FERDINANDUS
Imperio tenuiſſet auri.
Sic Gallicano fortior Hercule
Non Ora plebis, non popularium
Innectit aures, nec ſonanti
Vulgus iners moderatur auro;

Sed ſacra Dirces Numina, Numina
Exuberantis Phocidos hoſpita,
Phœbumque, mirantesque Muſas,
Et vigiles Heliconis umbras.
Hinc quà procellis Mura loquacibus
Tauriſciorum rura perambulat,
Et Auſtrienſes murmurantem
Danubium ſtupuêre ripæ,
Oenusque prægnans divite fabulâ
Exaggeràto volvitur alveo,
Rhenusque & Albis concolores
Ducit aquas medico Choaſpi;
Qua temperatis Moldava flexibus
Lambit Bohemos, quà procul Adria
Inſultat undis, triplicique
In pelagus ruit Iſter ore,
FERNANDIANÆ munera dexteræ
Sequuntur ultro, quos gemini ſacra
Delubra Pindi, & eruditæ
Theſſaliæ comitantur umbræ.
Exempla Patris regula filii
Sunt inſequentis; quâ præiit viâ,
Hâc FERDINANDUS FERDINANDUM
Inſequeris, ſoboles parentem.
Tu doctioris jura Panætii
Ad uſque magnæ barbara Thraciæ
Pangæa, regnatamque Teucro
Ambiguam Salamina, ſparſo
Fundabis auro, regnaque Apollinis
Muſasque blando munere differes
Ultra Triones, in calentis
Aſſyriæ Libyæque campos.

A D

AD FERDINANDUM III. ROM. IMPERATOREM.

ODE XLVIII.

De Auſtriacæ ſtirpis amplitudine.

DEterminati neſcia limitis
Ultra ſuperbos AUSTRIA terminos
Calpes, coronatamque quondam
Herculeis Abylam trophæis
Metit triumphos. Vidimus Herculem
HABSPURGICANUM, quâ medium mare
Secernit Europen ab Afro,
Prima ſuæ monumenta laudis
Locâſſe; quando non ſuperabili
Deſævientem Nerea prælio
Victor ſubegit; defluosqve
Amphitrioniadæ coloſſos
Mendaciorum lemmate nobiles
Urnâ ſubacti condidit æquoris;
Famamque, PLUS ULTRA, trilingui
Edocuit reſonare cornu.
Tum grande ponti fluctibus Herculis
Nomen ſepultum flevit inutile
Mendacium, NON ULTRA; & altam
Pœnituit poſuiſſe Calpen
Metam loborum: tum quoque gloriæ
Nerêus labantis funere territus
Merſit verecundum profundi
Fluctibus Oceani tridentem,
Et æſtuoſi marmoris arbitros

Ventos per undam ſomnus inambulans,
Quiete ſtravit, ſeptimoſque
Compoſuit Boreæ tumultus.
Exinde nullus laudibus obſtitit
Laborioſæ terminus AUSTRIÆ,
Nec terminali thus Sabæum
Ara DEO didicit cremare.

Ad Illuſtriſſimum Dominum

GEORGIUM NICOLAUM COMITEM DE ROSENBERG, &c.

ODE XLIX.

Alludit ad Roſam Gentilitiam.

DIva, nativo Roſa lævis oſtro,
Quam colunt flores, famuluſque retro
Pæſtidûm cenſus, populuſque culti-
-Adorat Hymetti.
Sive Reginas imitata vultu
Floreo, gaudes populo videri
Major, & verno ſolio reclinis
Flectis habenas:
Seu latus mavis radiata telis
Bella moliri, rigidiſque cincta
Militum contis in amica flores
Bella vocare:
Audies cœnæ decus eruditæ,
Sigmatis cuſtos, epulique præſes,
Umbra convivarum, honor Editoris,
Gloria cœnæ.
Subter umbroſam folii coronam

Plena

Plena convivis tibi menſa ſurget.
Unus accumbat Sapiens, Senatum
Eſſe putabis.
Pectoris vaſtum regit ille mundum,
Rex ſibi, Cæſar, populusque; magnam
Ipſe ſe Conſul moderatur æquis
Legibus Urbem.
Solus accumbat, trabeatus unâ,
Curiæ Patres, Chorus aſſidebit,
Conſul, & Judex, dominæque ſuetâ
Lege ſecures.
Solus haud unquam eſt Sapiens: Senatus
Quem domi ſemper colit, in tumultum
Sive plebs denſis glomerata turmis
Concrepet arma:
Sive jam legum patiens lupatos
Mandat infracti furor appetitus,
Et pluant paſſim pretioſa largam
Otia pacem.

AD CAIUM LENTULUM.

ODE L.

De Mortis æquali in omnes imperio.

Ætas fugaci præterit orbitâ,
Creſisque & Iris ſumma neceſſitas
Inſultat, ac ignara flecti
Sceptra quatit, tenuemque falcem.
Non intereſt, an Pygmalionio
Cenſu beëris, Lentule; num Tagus
Natet lacunari, & vetuſta
Dinumeres monumenta Patrum;

Gentisque primus prodieris tuæ,
Vilemque ſupra te tuleris gregem
Vulgi jacentis; num ſuperbam
Gemma gravet pretioſa menſam.
Mors cuncta ſævo proruit impetu
Sublimioris neſcia ſanguinis;
Nec ſtemma, nec gemmas, nec aurum,
Nobilium monumenta, tranſit,
Feſtas rogali funere pertinax
Mutare flammas, & lachrymabili
Miſcere leſſo gratulantûm
Carmina, lætitiamque planctu.
Fruſtra juventam obtendis, & inclytas
Ceras parentûm. Ductus ab Inacho
Sanguis vetuſto ſub Charontis
Jura venit, fugiente Lethes
Mergendus undâ. Fruſtra adamantina
Obtendis acris robora pectoris,
Toroſque cervicemque, & oſſa
Herculeis ſolidata nervis.
Ad jura mortis cogitur Hercules,
Et Hector, & Mars, & Telamonius
Heros, & undantes volare
Æacides celet in ſariſſas.
Mors cæca neſcit ſtemmata Principum,
Nec ſceptra Regum, nec capitis jubar,
Nec Imperatorum ſecures,
Nec titulos, dominoſque faſces.
Quodcunque vidit nobile Phoſphorus,
Quodcunque Veſper, jam cinerem ſuum
Tranſcripſit umbris, & ſepultum
Indecores iit in favillas.

Omnes

Omnes abimus, LENTULE; & omnibus
Severus horas Æacus intonat;
Nec noſſe fas eſt inter umbras,
Quæ tumuli ferat hora legem.
Hic ordo fati eſt, LENTULE: quælibet
Morti hora ſervit; quælibet in necem
Procumbit ætas: Tu ſuprêmam
Hanc reputa ſapienter horam.

AD S. FRANCISCUM XAVERIUM.

ODE LI.

De objecta ei in ſomno impura ſpecie.

NOn, diffluentem ſanguine quem vides,
Victum vocabis. Sæpe cruoribus
Eſt parta laurus, ſæpe palma
Sanguineo ſtabilita nimbo.
Afflicta virtus ſe generoſior
In auſa trudit, perque paciſcitur
Periculorum tela laudem;
Perque neces volat ad triumphos,
Tyro cruorem pallet ad obvium,
Et arma ponit vulneris impotens:
Qui ſæpe conflixit, notari
Vulneribus veteranus ambit,
Emitque pulchram ſanguine lauream.
Hac arte, magni gloria Memnonis,
FRANCISCE, pugnas, & Diones
Arma gelas, Cypriaſque flammas.
Infeſtat illa, & dum tibi durior
Componit artus ſomnus, in igneos

Erumpit auſus, indecoram
Auſa animo ſimulare formam.
At dormientem quem malè credidit,
Bello paratum repperit, ægide
Pudoris armatum, & medullas
Virgineâ feritate ſeptum.
Fruſtra reluctantem impulit acrius
Telum Cytheres: ocyùs exilis
Sopore, juratus pudorem
Sanguineo reparare nimbo.
Tunc nempe caſtæ non patiens nivis,
Hoſtisque puri pectoris, igneas
Cupido collegit ſagittas,
Et Paphios lachrymatus ignes
Periſſe, fugit. Siſte veneficam,
Audax honeſti latro, procaciam:
Si dormiens te detriumphat,
Quæ vigilans ſtatuet trophæa?

NICOLAI AVANCINI
E SOCIETATE IESV

LYRICORVM
LIBER SECVNDVS.

AD SAC: ROM: IMPERII PRINCIPES.

ODE I.

Pro Pace Germaniæ.

VIctor, quo precio ſtet tibi laurea,
Per tot parta neces, bella, cadavera,
Regnorumque ruinas,
Per tot funera, non vides?
Orci te Furias, te Stygis incolas
Eduxiſſe ferunt; Martis acinaces
Cœdes, prælia, ſtrages
Hæmi bellicrepo è jugo
Te traxiſſe canunt: quæque erat unica
Ad lethum via, per te quoque multiplex
Facta eſt. Namque perimus
Ferro, flumine, & ignibus.
Quin tellus pyrio pulvere diſſilit,
Inque auras levior jam lapis evolat,
Ingentique fragore
Troiæ mœnia corruunt.
Ah! cur empta placet laurea ſtragibus?
Cur, quà ſtrata patet funeribus via
Provectare triumphum
Per calcata cadavera?

Cernis, quæ facies, quiſvé Alemanniæ
In vultu gemitus? ſanguineâ manu
Turres, oppida, & arces,
Urbes, mœnia diruta,
Sævi relliquiæ Martis & ignium
Mœrent ſub cinere; hic, ſanguine qui piger
Ripas ſordidat Iſter,
Et lento fluvio natat;
Aggeſtis gravis hic corporibus ſtetit,
Et per non ſolitos effluus alveos
Latè condidit agros
Tabo, ſanguine & oſſibus,
Hoc quodcunque vides, quâ fluit Iſara,
Quà Rhenus properat, quà Lycus aufugit,
Et quà fluctuat Oenus,
Martis cruda fuit domus,
Bellonæque lares: hic Furor, hic Metus,
Hic Diræ, hic violens imperium necis,
Hic Diſcordia, Erynnes,
Hic ira, hic rabies ſtetit.
Hic jam pulvereis mœnia ductibus
Pinguntur, Pario muri ubi marmore,
Auratisque columnis
Portabant laquearia.
Hic Manes ululant, hic Lemures gemunt.
Hic umbræ Stygiæ triſtibus inſonant
Lamentis, ubi pacis
Fervebant hilares joci.
Hic delubra DEI, hic inviolabili
Majeſtate domus intulerant caput
Aſtris; nunc ubi equorum
Stant inculta cubilia.

Hic aræ Superis thura frequentibus
Urebant phialis, nunc ubi ſordidus
Aris impietatis
Myſtes ſacrilegè litat
Et vos hæc facies, hic patriæ dolor
Nondum tangit? adhuc caſtra remugiunt,
Et convellere mundum
Jurata agmina ſæviunt?
O! ſi quæ pietas pectoribus calet,
Martis bellicrepos tollite, PRINCIPES,
Bellonæque fragores,
Feralesque tubæ ſonos.
Pacem mundus amat, murmura cornuum.
Et Martis ſtrepitus, & litui ſonos
Pertæſus: date pacis
Tranquillæ otia PRINCIPES,
Pacem buſta petunt, & lachrymæ urbium,
Et verſa in cineres oppida, & horridis
Albens oſſibus æquor,
Et laſſus patriæ vigor.
Et ſperare licet: jam nova promicat
Iris pacifici nuncia gaudii;
Iris ſanguine Cæſarum,
Et ſtirpe Auſtriadum ſata:
FERNANDUS patrii nominis, & rei
Hæres, Cæſareo ſub diademate
Cinctus murice Regum,
Iris Regia promicat.
Olim Lamechidæ nuncia ab æthere
Miſſa iris pelagi compoſuit minas,
Rixanteſque procellas,
Et bella Hippotadæ ſtitit.

Non

Non fallor: veniet candida in Iride
Pax, rurſus niveis vecta curulibus,
Germanusque redibit
Candor, ſimplicitas, fides.

Ad Celſiſſimum Principem ac Dominum

JOANNEM WAICHARDUM PRINCIPEM AB AVERSPERG, &c.

ODE II.

Cùm is à FERDINANDO III. *Imperatore in Principum ordinem adlegeretur.*

INter nomina Principum,
Felici augurio, prima potentiæ
Incunabula ponere,
Pars ingens decimæ proſperitatis eſt.
At virtutibus evehi,
Et fundata Patrum ſtemmata vincere
Majori ſtudio; gravis
Hoc mentis meritum eſt, quam Sapientia
Magni pronuba conſilî,
Curarumque capax curia pectoris,
Plebeiamque licentiam
Refrenare potens gratia ſoſpitat.
Hæc, WAICHARDE, ſecundior
Sors, hoc elogium Principis optimum:
Virtutis ſtudio ſibi
Famæ ſternere iter, nec reſidem Patrum
Partæ incumbere gloriæ,
Fundandæ immemoren. Poſceris. Hoc ſat eſt;

Nec

Nec tam verticis infulam
Ambis ipſe, tuo quàm requieſcere
Optat gloria vertice,
Heroumque latus cingere purpura.
Tu deſiderium tui
Infudiſti animo CÆSARIS, ut leve
Cenſeret meritis decus,
Miſceri in ſeriem & nomina Principum.
Hæc flos vividus ingenî,
Hæc vis judicii mole potentior;
Et dives Sapientiæ
Pompa, & nobilibus parta negotiis
Tot rerum experientia,
Et mens fœta gravi pondere conſilî.
Torrensque aureus eloqui,
Et Suadæ facilis vena opulentior
Reddi præmia grandibus
Poſcebant meritis: hæc amor Auſtriæ,
Et conſumpta laboribus
Ætas Auſtriacis, propoſiti tenax
Et jurata fides, doli
Prenſantûmque Themis neſcia munerum,
Pectus rebus in arduis
Semper magnanimum, Solibus æmula
Virtus, cor adamantinum,
Cœlo par animus, vultus atrociæ
Fati cedere neſcius,
Hæc ſancire tuis præmia laudibus
Urgebant grave Principum
Pridem concilium. Quin tibi CÆSARIS
Affectus, meriti memor,
Infeſſe ſtuduit; cujus ad Imperî

Ger-

Germani diademata
Formaſti ſobolem. Nec potuit ſatis
Aut voto ipſe ſuo, aut tuis
O PRINCEPS, meritis pendere. Nunc age
Majorum titulos tuis
Addenſa titulis: quæque modeſtior
Pulſat limina Gloria,
Admittique rogat, blandior excipe.
Sed quo limine PRINCIPIS
Admittis titulos; hoc ſimul arduis
Regum pande negociis.
Nimirùm, facilis quem ſtatuit DEUS
Subjectos populos ſuper,
Undasque & ſtrepitus plebis in arduas
Curas evocat. Otio
Privatus fruitur: mille negocia
Urgent Principibus caput.
Illi certa, quies conſtat, & otium
Rerum fluctibus altius;
Qui vitat titulos, qui ſibi vivere
Soli condidicit: graves
Curæ ſollicitant atria Principum.

AD PALEN DEAM.

ODE III.

Petit gregis Viennenſis Paſtorem.

DIva gemmanti radiata Sole,
Quam timent ſylvæ, famulusque retro
Montium cenſus colit, & virentûm
Vulgus agrorum:
Si tuum ſtratæ genibus veremur

Ritè

Ritè delubrum, facilique vota
Aure dignaris, dabimus Sabæâ
Munus acerrâ.
Quà ſerenato ſpatiatus alvêo
Prodigus laudes vehit AUSTRIORUM
Iſter, & patri triplici rependit
Mole tributum;
Fertilis frugum, pecoriſque ſedes
Aream pandit, virideſque Veris
Educat proles, & Eteſiarum
Illudit amori.
Hic ubi ludens grege campus omni
Dulce pellitis ovibus Galeſi
Invidet nectar, viridique certat
Herba Venafro,
Ambulant lymphæ, vitreumque trudit
Rivus electrum, meliorque terræ
Vultus armento gracilem propinat
Æquore ſcenam.
At quis errantis moderator arvi
Paſtor apricâ modulatus herbâ
Ferias agnis canet, & Phalanti
Otia ruris?
Aut quis inſani rabiem Leonis,
Fulmen armenti, nivei Tyrannum
Velleris, vitâ benè proſtitutâ
Arceat ignis?
Te penes noſtri gregis eſt poteſtas;
Te minax campi metuit Lycaon,
Cùm laborantes ſitientis ore
Eripis agnos.
Dum tibi Maurus vapor inter auras

Dam-

Damna Panchææ pretioſa ſylvæ
Devorat, paſtorem avidis petitum
Annue votis.
Nolo venalem precio laborem;
Emptus argento labor otioſis
Incubat ſtratis, vigilemque mentis
Negligit arcem.
Ille Therſites, fideique nobis
Immemor ſponſæ, reſidi ſupinus
Otio curas dabit Adrianæ
Fluctibus undæ.
Dextra venalis fidei propola,
Fas nefas miſcet. Gregis ô Tyranne!
Quem Molorchæis ululata campis
Prælia terrent.
Talis, ô pulchro cycladata Sole
Diva Paſtorum, nemorumque Præſes,
Talis ad noſtros gregis Imperator
Excubet agnos:
Cujus ad virgam malè feriatus
Terror armenti dubitante raptus
Horreat curſu, trepidisque Taurus
Palleat urſis.
Prodigus vitæ redimit peremptum
Paſtor armentum, precioque fuſi
Sanguinis gaudet ſpolium luporum-
- Emiſſe bidentem.

AD

AD VIENNAM.

ODE IV.

Pales Paſtorem deſignat Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum D. PHILIPPUM FRIDERICUM BREÜNER.

DElicta ſylvæ pervigil arceat
Pedo PHILIPPUS: quem vigilantia
Argum probavit, cuî fideli
Excubitrix ſedet ore cura,
Terror luporum prodigialium;
Seu qui Sicani pectore marmoris
Suxêre venas, & parente,
Duritiem Prochytâ biberunt;
Seu quos paternis Taygeti jugis,
Umbriſve Taurî Perſephone ſuo
Lacte educavit, vel Molorchus
Relliquiis ſatiavit hydræ.
Illi propinquæ ſollicitudines,
Gregum magiſtræ, tela fugacium
Arcent pavorum, in Auſtrienſes
Non iterùm reditura campos.
Ille æſtuoſo qualiter evolat
Immugientûm pondere nubium
Crinale fulmen, quod miniſter
Per medios rapit ignis Auſtros,
Ibit cruentis Myrmidonum feris
Poſtrema clades, & Dolopum minas
Vaſtabit omnes. Heu! proterva
Dulichiæ date monſtra ſylvæ:
Hic ipſe, qui nunc dentibus increpat

Damna Panchææ pretioſa ſylvæ
Devorat, paſtorem avidis petitum
Annue votis.
Nolo venalem precio laborem;
Emptus argento labor otioſis
Incubat ſtratis, vigilemque mentis
Negligit arcem.
Ille Therſites, fideique nobis
Immemor ſponſæ, reſidi ſupinus
Otio curas dabit Adrianæ
Fluctibus undæ.
Dextra venalis fidei propola,
Fas nefas miſcet. Gregis ô Tyranne!
Quem Molorchæis ululata campis
Prælia terrent.
Talis, ô pulchro cycladata Sole
Diva Paſtorum, nemorumque Præſes,
Talis ad noſtros gregis Imperator
Excubet agnos:
Cujus ad virgam malè feriatus
Terror armenti dubitante raptus
Horreat curſu, trepidisque Taurus
Palleat urſis.
Prodigus vitæ redimit peremptum
Paſtor armentum, precioque fuſi
Sanguinis gaudet ſpolium luporum
Emiſſe bidentem.

AD

AD VIENNAM.

ODE IV.

Pales Paſtorem deſignat Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum D. PHILIPPUM FRIDERICUM BREÜNER.

DElicta ſylvæ pervigil arceat
Pedo PHILIPPUS: quem vigilantia
Argum probavit, cuî fideli
Excubitrix ſedet ore cura,
Terror luporum prodigialium;
Seu qui Sicani pectore marmoris
Suxêre venas, & parente,
Duritiem Prochytâ biberunt;
Seu quos paternis Taygeti jugis,
Umbriſve Taurî Perſephone ſuo
Lacte educavit, vel Molorchus
Relliquiis ſatiavit hydræ.
Illi propinquæ ſollicitudines,
Gregum magiſtræ, tela fugacium
Arcent pavorum, in Auſtrienſes
Non iterùm reditura campos.
Ille æſtuoſo qualiter evolat
Immugientûm pondere nubium
Crinale fulmen, quod miniſter
Per medios rapit ignis Auſtros,
Ibit cruentis Myrmidonum feris
Poſtrema clades, & Dolopum minas
Vaſtabit omnes. Heu! proterva
Dulichiæ date monſtra ſylvæ:
Hic ipſe, qui nunc dentibus increpat

Iras

Iras Lycaon, fataque rictibus
Affixa portat, ſi cruentis
Auſtriadûm meditetur agros
Tentare bellis, ſacrilegâ pedum
Cervice tinget. Sic placitum Pali
Eſt Auſtrienſi, ſic odoræ
Dona Arabum meruêre nubes.
Sic fida magni pectoris hoſpita
Virtus parentum, & clarus originis
Promittit ordo, quem vetuſta
Fama Patrum, ſeriesque Avorum
Oſtentat orbi, quam neque temporis
Fuga invidentis, nec retro diſſipet
Livoris incumbentis ira;
Nec rigidus rapientis ævi
Extinguat imber. Sic quoque nobili
Inſcripta honeſti linea pectori,
Divesque recti mens, & acre
Judicium, tumidiſque pectus
Rerum natantûm fluctibus altius,
Et vis profundi provida conſilî,
Virtusque par vaſto labori,
Relligio, pietasque ſpondent.
Hic impotentis toxica Cerberi
Et belluoſis partubus editos
Lupos, & immanes Leones
Fulmineo prohibebit auſu.

AD GREGORIUM SIRUM.

ODE V.

Retinendam eſſe in utraque fortuna animi æquabilitatem.

SAnctiùs vives; neque, ſi Favonî
Aura dum lambit, maris inquieti
Urgeas altum, placidoque navim à
Littore pellas:
Nec procelloſos mare dum tumultus
Excitum volvit, nimium timendo
Cautus horreſcas, teneatque ſemper
Anchora proram.
Auream quiſquis nihil ambit urnam,
Ferream quiſquis nihil expaveſcit;
Ille turbato ſuus eſſe rerum
Ordine novit.
Subditam quiſquis mediocritati
Applicat mentem, nihil obſoletum
Horret ad tectum; nihil intumeſcit
Gangis honore.
Ipſe Fortunam ſibi fingit: ipſe,
Cùm graves caſus movet, antegreſſus
Exitum, occurrit melioris aurêo
Sortis aſylo.
Ipſe, cùm ſortis refluunt ſecundæ
Candidi Soles, benè præparatus
Horret adverſos; neque lora menti in
Gaudia laxat.
Nulla ſors longa eſt: abeunt Decembres,
Et redit Majus: pelago procellæ

Detu-

Detument; ſomno placido quieſcunt

Murmura ponti.

Jam gravis pinum Boreas laceſſit;
Jam levi illudit Zephyritis aurâ:
Læta ſuccedunt tragicis, dolori

Gaudia cedunt.

Fauſtitas & Pax benè præparantur
Luctibus: nectar melius palato
Accidit, quando labra virulentus

Tinxit amaror.

Sic diem quando rutilo ſerenum
Crine ſpectabis, medioque euntem
Axe, venturas meditare denſo

Turbine nubes.

Nil time infeſtam, nihil hoſpitalem
Æſtima ſortem: fugit iſta, & illa
Cedit; alterno ſubeuntque ſemper

Ordine ſcenam.

AD FIRMIANUM.

ODE VI.

Sapientia Reipublicæ utilis.

HOminum res fatuorum eſt, radiare
Magis auro, phalerіſque imperiale
Latus ambire, quàm honeſtâ caput umbrâ redimire.
Hominum res ſtolidorum eſt, populares
Magis armis premere iras, quàm operoſo
Sapientis ſtudio, conſilioque invigilante.
Furor inſania fiet, niſi mentis
Moderamen vice fræni domet iras.

Ani-

Animi expers calor, & conſilii mole ſuâ alget.
Age, Martis violento quatiantur
Grege muri; furiali face tecta
Tumulentur, glomeratiſque catervis ruat im-
Crepet aucti tuba Martis, generoſo (ber:
Pede palmas meritura, & cinerali
Tumulatura ſepulchro ſacra, acerras, bona
Cives:
Quis ovantis fera Martis removebit
Juga muris; trepidantes quis in urbe
Populorum premet undas, animoſque ingene-
Glacialis pavor omnes inhoneſtâ (rabit?
Febre ſtringet, neque Civis, neque Ductor,
Neque miles venientis dominatum premet
hoſtis.
Hominum res ſapientûm eſt, moderari
Inimici lanienas, animoſque
Populorum exanimatos documentis animare.
Age, Civis tonet armis, fremat urbis
Moderator famulari gravis ære;
Populi ſeditionem jugulare, eſt ſapientis.
Ciceronem meminiſti, Cyneamque-
Hic in urbes penetravit ſapiente-
-Eloquio; ille expulit Urbis dominatu Cati-
Sapiens non ſibi vivit: veluti Sol (linam.
Aliis commodat ignem; tamen ipſe &
Sibi lucet; ſibi parcus, reliquorum in bona
largus.

AD MARTINUM BUCCHUM.

ODE VII.

Taciturnitatis commendatio.

SIlentioſi Pythagoræ cata
Muſæa laudo. Cede loquacibus
Odis hirundo. Multa verba
Sunt animi rudioris index.
Plerumque multùm, quod vacuum eſt, ſonat;
Siletque plenum. Dolia tinniunt
Exhauſta, ſi pulſes; tacentque,
Queis animat gremium Falerno
De colle vinum. Flumina quæ ſtrepunt
Profunda non ſunt. It tacito l'adus
Gravis fluento, vixque ripas
Alloquitur taciturnus undâ.
Parens aquarum non niſi mobili
Afflatus aurâ Nereus adſtrepit;
Magnasque ſecurus carinas
Quando ſilet, vehit, & quietæ
Importat oræ: at quando ſonantibus
Garrit procellis, heu, cave! rupibus
Alliſa tempeſtate grandi
Naufragio ratis interibit.
Sentire multa, at pauca loqui jubet
Compendioſæ lex Sapientiæ.
Abſiſte verborum propola:
Qui tacet, hic Sapiens habetur.

AD

AD PAUSILIPIUM ÆGROTANTEM,

ODE VIII.

Vt morbi vim forti animo ferat.

NOli, quem quereris gravem
Morbum, difficili mente retundere.
Pars major cecidit mali,
Si conſtans animus non ſuperabili
Se firmat patientiâ.
Illic meta mali eſt, mens ubi torpuit.
Sævos inter aculeos
Dura PAVSILIPI; qui premit impetus,
Non eſt alea ſæculi,
Aut longi ſtudium temporis. Indoles
Innata eſt cruciatibus,
Non torquere diu. Quò graviùs ferit
Tormentum, hoc citiùs perit.
Sic natura pio digerit ordine
Humanæ numeros dieæ;
Tormentique vices; ut tolerabilis
Sit morbi impetus, aut brevis.
Ergo ſi tragicis ſors gravior minis
Mœſtum PAUSILIPI tibi
Cor pulſet gemitu, triſtibus abſtine
Frontem involvere nubibus;
Aut pugnare DEO. Nutibus ætheris
Aſſentire lubens. Ego
Sortis difficili impulſus ab alea
Nunquam vulnera ſentio.
Cœlorum imperiis aſperioribus

Flecti non didici; at lubens
Fatorum obſequiis ſubdere verticem.

AD FAUSTUM CASSARUM.

ODE IX.

Vera Nobilitas non eſt à ſanguine, ſed à propria virtute.

TU ne patricii quæſieris ſtemmate ſanguinis
Dici nobilior; nec patrias deſes imagines
Succeſſor numeres. Non faciunt ſymbola nobilem,
Non Patrum clypei, aut paciferæ Palladis atria
Majorum ſtatuis obſita, nec laurea gloriæ,
Quàm gentilitià fæta tulit mens ſapientiâ.
Hæc Patrum fuerant: non tua ſunt. nemo nepotibus
In famam viguit. Si qua fuit nobilîtas Patrum,
Hæc jam præteriit; nec riguo flumine gloriam
Infudit ſoboli per facilem ſanguinis alveum.
Et quò tot Curios Herculeis viribus inclitos,
Tot Druſos recolis, procidui fulcra tot Imperî
Heroas patrii, aut Æacidæ, aut Scipiadæ pares;
Si Patrum titulos immemori pulvere degener
Condis, nec paribus facta Patrum laudibus amplias?
Quò cenſes clypeos, & Scythicâ grandine ſaucios
Umbones crepitas; fæmineo ſi tibi cor metu
Concuſſum trepidat? Danubium quid canis amnibus
Mixtum ſanguineis per patriæ prælia dexteræ
Virtutemque atavi; ſi tumulas ingenium mero
Sorberiſque ſcyphis? Non magis in te bona patria

Mi-

Migrant, quàm vitium. Nobilitas & Sapientia
Nulli innata fuit. Nobilis eſt quiſque ſuo magis,
Quàm ſtirpis radio. Quis ſapiens à ſapientia
Majorum meruit Socraticum ſcandere pulpitũ?
Aut quis pumilio, quamlibet ipſo ſteterit jugo
Hæmi, aut Taygeti, vel Rhodopes culmine, grandior
Evadet? Celebris quiſque ſuo eſt, quiſque ſuo potens.
Secernas animum: Conſulibus par erit Irus, &
Codrus Cæſaribus. Nobilitas unica proprii
Eſt virtus animi. Nemo ſuo debeat ortui
Vitæ exacta brevis, ſed meritis grandia, ſæcula.
Hæc magnum faciunt, quæ quis agit, Sive Agamemnone,
Sive Iro genitus, nobilis eſt, qui popularibus
Se vulgi ſtudiis eximit, & pectoris indolem
Virtuti dicat, & ſe ſtudiis mancipat ætheris.

AD BEATAM VIRGINEM SINE MACULA ORIGINALI CONCEPTAM.

ODE X.

VIRGO, quam pronis venerantur aſtra
Ignibus, cujus famulata plantis
Luna ſe ſubdit; cycladique Phœbus
Totus inerrat:
Sive tu *Regis* cupis *Aula* dici,
Seu *Parens vitæ, Genitrixque Verbi*,
Seu *voluptatis Paradiſus*, *Hortus*
Numine *clauſus*:
Sive tranquillum *Mare Gratiarum*,

Seu magis *Cœlum* cupias vocari,
Numinis Sedes, *Puteuſvé aquarum*, aut
Ara ſalutis:
Undique es labis genialis inſons:
Quodque nos crimen priùs interemit,
Quàm ſumus nati, tibi *Glorioſa*
Virgo pepercit.
Regia es: ſed quæ reſeravit aulam
Angelo Pacis. Peream, cruentam
Si Stygem credam celebraſſe primi hic
Fædera belli.
Es *Parens vitæ*, *Genitrixque Verbi*.
Conflagrem, ſi te priùs in catenas
Mortis abreptam periiſſe primo
Funere credam.
Es *voluptatis Paradiſus*. Iſtâ
Sede vitalis mihi ceſſet aura,
Si priùs credam hic latitaſſe nigrum
Agmen Averni.
Hortus es clauſus. Peream, malignum
Si halitum credam priùs involaſſe,
Quàm maritali *ſuperadveniret*
Spiritus aurâ.
Es ſupernarum *Mare Gratiarum*.
Concidam; ſi tu priùs acta Cauri
Flatibus, quàm ſe Zephyrus benignâ-
-Infunderet aurâ.
DIVA, te *Cœlum* veneror; ſed iſto
Monſtra non credam ſtabulata cœlo,
Antequam Numen ſibi deſtinatum
Hoſpes adiret.
VIRGO, te credo *Puteum*; ſed undas

Non

Non tuas credo priùs in venenum
Iſſe, quàm Verbum biberet ſalutis
Pocula noſtræ.
Ara canteris: tamen hac in ara
Ante divinum thymiama quiſquam
Credat accenſas nebulas Averni-
Arſiſſe favori?
Ite; non credo geniale crimen
VIRGINI infeſtum. Sine labe puram
Hic reus voti cano. Si negâro,
Fulmine ſtringar.

AULÆ DEFENSIO,

ODE XI.

SIc eſt: invidiam gloria parturit:
Et Fortuna benignior
Spectantûm lacerat viſcera. Nominis
Splendor dilaniantibus
Livoris nimium dentibus objacet.
Aulam criminis arguit,
Aulæ qui ſtudio penè perit. gravem
Famam Principis inficit,
Qui fruſtra titulos quærit, & ambitu
Se conſumit inutili.
Non eſt aula malum; ſed malus æſtimat.
Fraudes, ambitio impotens,
Innexique doli, mentis Erynnides,
Præceps ira furoribus,
Legisque impatiens prava licentia
Intra limina Regiæ
Infertur vitio tecta adeuntium.

Sta-

Stabit criminis innocens
Regum auguſta domus, ſi ſua crimina
Nemo veſtiat infulis.
Quodcunque aula mali, vel ſceleris tenet,
Extra limina naſcitur.
Hinc cùm ſe populus denſior ingerit,
Intrat cum populo ſcelus.
Hic ſecum invidiam portat, hic ambitum,
Alter præcipites minas,
Et multo gravidum funere acinacem,
Fraudeſque, & tacitos dolos:
Alter non humilis ſanguinis ultimus
Hæres, ſedulus aſpici,
Immanem caperat fronte ſuperbiam;
Solique invidet æmulos
In vultu radios: alter in oſculis
Fert incendia Cypridis.
Sic cùm quiſque ſuum detulerit ſcelus,
Creſcit cum populo malum.
Vis aulam innocuam criminis? elige
Non qui limina baſiant,
Frontemque aſſiduis riſibus explicant.
Non quos ebria murice
Accendit Phrygio veſtis, & aureis
Bullis omne latus ſonat;
Non quos lucra juvant vanida gloriæ:
Sed quos vel Sapientia,
Mentis conſilium, judicium grave
Fœtumque ingenio caput,
Vel quos Relligio munere Cœlitum
Ornat; quoſvè coloribus
Virtus ſidereis pingit; & aureâ

Ve-

Veſtit nube modeſtia,
Sic cùm nemo nocens limen adiverit
Regale, aula erit innocens.

AD MILITES.

ODE XII.

Hortatur ad arma.

NAm quæ minacis fulgur acinacis;
Iraſque ferri condidit improbo
Vagina neglectu, & feroces
Segnitie cicuravit enſes?
Quis bullientem ſanguinis impetum,
Quis mentis ignem, & fulmina dexteræ
Extinxit, & torvam pavore
Sævitiem timor occupavit?
Audete Martis conſilium ſequi,
Felicitatis commoda publicæ
Si quos juvabunt, & repulſis
Temperies reparata nimbis.
Pax empta bellis advenit, & ſalus
Tota eſt in armis publica: vulneri
Sic admovet ferrum Machaön,
Cui facilis malè dextra parcit.
Reſume ferrum, & pectoris æs triplex:
Expergefactum maſcula provocet
Virtus vigorem, Martiamque
In ſegetem rigeat juventus.
Faſtigiatas demite vertice
Turres capilli, caſſide pulchriùs
Caput ſub ærata vigebit,
Quam fluido radiet ſub auro.

Emenda ferro Pax, animis eget,
Manuque: ſi quas ſub glacialibus
Scythes pruinis, vel Gelonus
Sub Tanai tumulavit iras.
Expergefactas ad lituum vocet.
Si quos dies, vel Gangis ab aureo
Sinu evolutus, pendulusvé
De medii cavitate cœli,
Aut funerandus fluctibus æquoris
Videt furores ire ſuperſtites,
Ad arma, ad arma convolate:
Certa ſalus poſita eſt in armis.

AD PUBLIUM COMMODUM.

ODE XIII.

Deplorat bellorum calamitates.

O Nulla longi gaudia temporis,
Brevesque Soles, quos radiantibus
Regina quadrigis voluptas
Lora joco quatiente ducit!
Heu poſterorum riſu Alemannia
Cantanda quondam! ſcilicet aureæ
Felicitates bellicoſum
Trans Tanain, Scythicoſque nimbos
Evanuerunt. Jamque minacibus
Cadmæa contis meſſis inhorruit;
Quam bella, quam cædes, gravisque
Ilias inſequitur malorum.
Exhauriuntur civibus oppida,
Campi colonis, mœnia milite,
Et tecta, & urbes inquilinis,

Pro-

Prole pater, patre cæſa proles.
Non flos juventam, non redimit ſenem
Caducus annus: funera vulnere
Cœco immolantur; fama, virtus,
Forma, decor, tumulatur Orbis.
Eviſceratur condita montibus
Medulla; certis ictibus erutæ
Rupes labaſcunt; hinc recumbit
Arte jugi tumor, inde ſurgit.
Aedes in ipſas Numinis, impotens
Deſævit ardor; ſtant vacuæ ſacris
Sedes adorandæ, & tumultu
Sacrilego temerantur aræ.
Recordor ævi, quo ſine nubibus
Vulgus fluebat pacis amoribus,
Intraque porrectas, & extra
Imperium ſaliebat Alpes.
Felicitates at procul aufugæ
Ceſſêre noſtræ; damnaque fertili
Crevêre partu, O quæ malorum
Iliadi dabit hora finem!

AD MICHAELEM ARENDAM.

ODE XIV.

Aula periculorum admonet.

SVperba nullo crimine nomina
Vacant: agreſti ſub lare tutior
Amica virtus hoſpitatur,
Quàm Tyrio reſupina in oſtro.
Quò multa ſeſe nomina congerunt,

Plerumque virtus exulat: otia
Hac exeunt, quâ intrat tumultus,
Et ſtrepitus titulorum inanis.
Reclude vaſtum limen honoribus,
Latam dediſti criminibus viam;
Si quam frequentant ædem honores,
Hanc ſcelerum furor inquietat.
Neſcit potentum limina fauſtitas,
Vitæque candor, puraque veritas,
Nec fas, nec Aſtræa, aut Parentum
Cana fides, niveique mores.
Furor ſatelles ſtipat aheneas
Fores palatî, livor inambulat
Imum penetrale, & ſuprema
Tecta tenet furiata Enyo.
Libido ſancit jura, calumnia
Mendaciorum fraudibus illita,
Triſteſque vindictæ, & doloſæ
Sub titulis latuêre larvæ.
Hæc providenti limina MICHAEL
Curâ cavebis; quæ facili potes
Intrare greſſu, ſed ligatam
Difficile eſt revocare mentem.

AD GABRIELEM VENDIUM.

ODE XV.

Scelerum pœnas nemo effugiet.

CEdo, beato vela Favonio,
Sortiſque VENDI riſibus explices,
Cyproque ſervam, vel Phraatæ
Divitiis, dominoque Baccho

Men-

Mentem remittas. Exiget, exiget
Ventura quondam ſupplicium dies.
Suſpendit ultor Numen ictum,
Lenta rapit Nemeſis flagellum?
Sed tarda quamvis pœna nocentibus,
Non vana certè eſt. Plectere diſtulit
Immane crimen? tarditatem
Supplicio graviore penſat.
Quod ſi reducat vindicibus DEUS
Manus ab armis, nec ſubitaneum
Vibret per auras fulmen, ipſa
Mens ſcelerum rea ſe fatigat.
Ut pœna deſit, ſupplicium ſibi
Mens eſt acerbum; quam pavor, & timor,
Umbræque, larvæque, & tyrannâ
Eumenides face ſubſequuntur.
Seu nox Iberis emeritum diem
Mergat ſub undis; ſeu revehat diem
Recentiorem Aurora, ſemper
Lictor agit pavor, & medullas
Mentis tyrannus diſcruciat metus.
Sequens priori maxima crimini
Eſt pœna crimen: hæc minaci
Semper agit ſtimulo ſceleſtum.

AD ANTONIUM PRUDENTIUM.

ODE XVI.

Malos ſocios cavendos eſſe.

VIve, PRUDENTI tibi; pluriumque
Frater evita, ſociusque dici.

Antequam quæras populo videri,
Diſce latere.
Sæpe qui mores tulit innocentes
In forum, mores retulit nocentes
In domum. quivis vitii propinquo-
-Inſtillat amorem.
Quiſquis ad flammas ſteterit, calebit,
Quamlibet nolit : pariter rigebit,
Quiſquis algenti dederit Decembri
Stringere membra.
Mollis emollit ſocius, doloſus
In dolos ducit, ferus efferatos
Imprimit mores ; docet invidere
Invidus alter.
Sic pecus peſtem pecudi frequenter
Allinit; carbo ſocium profanat
Igne carbonem. Sua quiſque amico
Crimina ſuadet.
Vive, ſed tecum ; populumque vita.
Ille ſecurus, placidusque vixit,
Qui ſibi ſolus vice plurimorum
Sufficit unus.

AD GEORGIUM LINÆUM.

ODE XVII.

Felices Jani Calendas precatur.

LEgenda Vates carmina poſteris
Committo chartæ. Nomina Cæſarum
Ignota Thuſcis ſub ſepulchris
Nocte ſuâ tumulata ſquallent.

Jacent

Jacent perenni Regna ſilentio
Oppreſſa Regum, trita Quiritium
Fama, & verecundis ſepultæ
Noctibus occubuêre laudes.
Quàm ſæpè famam livor ab aureo
Roſit trophæo? at non Acheronticis
Exorta ab antris te, GEORGI,
Invidiæ tumulabit umbra.
Doctus perennem nominis aurei
Impendioſæ merce ſcientiæ
Parare famam, per nepotes
Ingenio cumulabis ævum.
En jam paratus ſæcula ducere
Longæva Janus fuſa citantibus
Parcis ademit, Gratiasque
Staminibus glomerare lentam
Juſſit ſenectam: ſæcula Gratiæ
Trahenda longo ſtaminis ordine
Sumpsêre, pronus queis Apollo, &
Pierides ſociant laborem.
O Gratiarum ſtamine dignior,
Dura, GEORGI, & temporis aufugi
Incide pennas, dum bifrontis
Sæpè dies repetita Jani
Revolvat ævum, milleque ſæcula
Beata ab auro, queis tua gemmei
Supremum honoris concitatis
Gloria currat iter quadrigis.

In Funere

D. JOANNIS HÆRINGS-HAVSER.

ODE XVIII.

NOn, ſi labantis ſæva neceſſitas
In damna mundi fræna licentiæ
Relaxat, ac ignara flecti
Firma rigent adamante fata,
Totum rogalis machina flammeis
Fratrem procellis, & lachrymabili
Involvet igni, nec caducum
In cineres aget urna Fratrem.
Quod lege fluxi corporis omnibus
Erat ferendum, non timuit mori.
Lethumque corpore interempto
Parte ſui meliore vicit.
Mori ſuprema non timuit die,
Quem ſæpè virtus edocuit mori:
Cui pectus ambulare doctum
Arva ſuper popularis auræ
Dedit. Sepulchri neſcit inertiam
Divina Virtus; nec lachrymabili
Urgetur orco; nec remiſtis
Turpè latet tumulata in undis.
Sed torta Martis ſpicula deſpicit,
Et ſe quietis nubibus inſerit,
Dulcemque guſtatura pacem
A ſtrepitu revocatur Orbis.
Hac tu JOANNES tendis iter viâ
Urnæ ſuperſtes. vidimus horridis

Armata

Armata telis Fata ad urnam
Ante diem propera evocare.
Audis vocantem. certior Icaro
Arces reviſis ſideris igneas,
Quò fata non ſcandunt, ſed uni
Sceptra manent ſtabilita vitæ.

AD D. RUDOLPHUM BIDIUM.

ODE XIX.

Filius Parenti annum fauſtum ineunte Jano precatur.

TItan, morantes pone fugacibus
Annis catenas; quaſque per aureum
Cœli coronati theatrum
Præcipiti Pyroënte vectus
Agis quadrigas; ſiſte: nec annuo
Floræ tributo germen inambula,
Nec obvia Alcidæ Leoni,
Nec geminas repete Æquitatis
Lances, nec Urſas: hic melioribus
Diſcriminavit partibus annuam
RUDOLPHUS ætatem: nec extra
Quærit opes melioris anni.
Sub temperata mente agit aureum
Ver: fortitudo æſtivat in ignibus
Leonis; autumnat bilance
Juſtitiæ, ſapientiore
Sub mente canæ ſunt hyemis nives.
Hic ſiſte Titan: non levibus rotis

Hic

Hic ibit annus; ſed perennes
Inter aget ſua feſta pompas.
Audimur! axem jam pigrioribus
Canthis ſerenat Phœbus, & orbitæ
Curſus, reluctantemque currum, &
Fata tenet breviore loro.
RUDOLPHE, ſic te Janus amet tuus,
Et æmulandum te ſoboli polus
Conſervet, uſque dum coronet
Par ſobolem ſine nube virtus.

AD GEORGIUM KRIMIUM.

ODE XX.

Fauſtam navigationem precatur.

JAcete fluctus. Dii quibus eſt amor
Turbata ſomno flumina ſternere,
Qui contumaces in procellas
Imperium domini tenetis,
Favete. vobis grande GEORGIUM
Concredo pignus, pignus amabile.
Favete; dum pacata noſtræ
Dimidium gerit unda vitæ.
Et tu nitentis pulchra Serenitas
Propago cœli, filia ſiderum
Iſtro natantes molliore
Diva rates comitare vento.
Fallorné? an Iſtri terga ſilentibus
Pacata ventis, & tacito Tethis
Ludit natatu, vitreiſque
Danubii ſoboles capillis

Circùm

Circùm volantem dat choreas trabem?
En omnis unà Nereidum chorus
Comes per undoſam quietem
Læta pari terit arva greſſu.
I navis, altum fluminis otium
Dum ſe ſupinat, ponè fugacibus
Impulſa ventis, & lege Iſtro
Auſtriacas famulante ripas.

AD FERDINANDUM KRIMIUM.

ODE XXI.

Amici adventum nunciat.

SAtis dolori; jam ſatis & ſuper,
Datum querelis: corrige flebilem
In fronte luctum, FERDINANDE,
Impenſa Deos tetigere vota.
Et jam tenaci Typhis ab anchora
Littus reſolvit, jam procul alveo
Georgium deſideratum
Unda vehit, placidoque motu
Iſter ſecundat. deripe ſegnibus
Moris catenas, nec piger otio
Divende Soles; jam propinquis
Danubii ſonat unda remis.
Amor morarum neſcius impigras
Exercet alas! gratior eſt ſalus
Præoccupata, Gratiarum
Mixta choris, calidæque mentis
Inſerta ſedi. Qualia Gratiis

Delubra

Delubra quondam conſiliantium
Gratus Pelaſgorum Senatus
Conſtituit, memoresque acerras
Accendit aris Italia te ſinu
FERNANDE mentis convenit intimo
Delubra moliri, in Georgiûm
Sancta tui monumenta Amoris.
Adeſt; quid hæres? jamque natatili
Exſcendit alno. quid refluentia
Per vota luctaris? tumultum
Pone animi, dubiamque pugnam
Spei & timoris: portus habet ratem,
Arena amicum. Surge, ſuperſtitem
Fatis amicum FERDINANDE
Stringe ſinu, veterique amore.

AD ANDREAM ORÆMONEM.

ODE XXII.

De vita brevitate.

HEu! quàm dolosâ ludimur aleâ!
Umbrisque mentem paſcimus aufugis!
Dum vota vitæ longioris
Sollicito meditamur æſtu.
Excede porrò ſæcula Neſtoris,
Et cana vatis tempora Perſicæ,
Annosque Tithoni, nivesque
Exſupera Pyliæ ſenectæ:
Jurata tecum pectoris hoſpita
Puro voluptas ſtamina protrahat

Auro laborata, & ſerenis
Ad genium famuletur aſtris;
Clementiores temporis arbiter,
In apparatus dulce ſupercilî
Numen ſerenet, grandinétque
Deliciis opulentus æther:
At quando amicis luſtra Favoniis
Producta current, & Charitum joci,
Riſusque lætùm blandientur,
Vive memor fugientis horæ.
Nec longa vitæ ſtamina cogita,
Brumæque ſparſas canitie comas:
Quot luſtra vivis, tot prementis
Luſtra potes numerare mortis.
Imus. futuri conſcia funeris
Prætervolantes hora vorax dies
Abſumit, ac inſtante letho
Vita ſuam premit ipſa vitam.
Qualis ſerenis dum micat ignibus
Nocturnus ardor lampadis, in ſuam
Deſævit ætatem, coloque
Ire jubet breviore vitam.
I, longa felix ſecula protrahe
Semper futuri temporis helluo,
Anniſque millenis beata
Mille iterùm ſuperadde luſtra;
Cenſebis albi ſecula lilii,
Luſtrum roſarum; quas veniens dies
Suo ſuperbas in theatro
Obſtupuit, medio peremptas
Ab axe vidit. Nemo perennibus
Menſuret annis, quod vorat unicum

Fatale

Fatale momentum; ultimumque
Hora brevis trahit in ſepulchrum.

In Funere Domini
GERARDI RAAB, J. U. D.
ODE XXIII.

Deflet ejus mortem.

VErum eſt: orbita temporum
Umbras Pegaſeis curſibus incitat,
Atque hora impatiens moræ
Præterlapſa diem præcipitem rapit.
Sic undis jubar aureum
Cùm Sol extulerit, vix medium æthera
Flammæ penſilis igneo
Accendit precio, mox ruit impetu
In Tarteſſiacum mare.
O Solis nimium lubrica ſemita!
Specta (ſi lachrymæ tamen
Te ſpectare ſinunt, nec tenebras tuis
Infudêre oculis) vide
Noſtri præcipites Solis in Heſperum
Lapſus. Sol meus occidit
GERARDUS: radiis quem Sapientia
Inveſtiverat aureis,
Flammis Conſilium, Aſtræa coloribus;
Quem virtus aluit parens:
Cui conſtans animus, cui Vigilantia
Indefeſſa meridiem
Auratum dederat. Sol meus occidit
GERARDUS. Lachrymæ genis
Noſtris deciduæ ſternite mortuo

Pontum:

Pontum : Sol amat occidens
  In ſalſi tumulum defluere æquoris.

In Funere Ejuſdem

D. GERARDI RAAB, J U. D.

ODE XXIV.

Num totus raperis pater?
  Et poſt fata tui nil manet ampliùs?
Parcæ, ô curta neceſſitas!
  Fruſtra funereis horrida caſibus
Magnis interitum viris
  Intentas : ſpolium corporis exues,
Famam non rapies. Diem
  Claudes curriculi, ſæcula ſed tamen
Immortalia ſancies.
  Quantum temporibus detrahis invida,
Tantum laudibus aggeris.
  Virtus interitus neſcia, ſæculis
Vitam prorogat integris.
  Quamvis in cinerem corpora defluant;
Ignis ſub cinere hoc manet.
  GERARDI cineres, ſi lubet, emove:
En ſcintilla frequens volat,
  Virtutisque nitor vividus emicat.
Sed ſiſte : ô precor abſtine
  Motu, nec cineres læde ſuperſtites:
Ne quas in gremio fovent
  Scintillarum animas, invida ſidera
Nobis eripiant. Habet
  Hoc, vel juſta nimis, vel nimis invida

Aſtro-

Aſtrorum Pietas, amat
Addi noſtra ſuo ſidera ſideri.

AD COELITES.

ODE XXV.

Pro pace Germaniæ tot bellis devaſtatæ.

QUæ Martis artes, cernite Cœlites,
Quæ decoloris ſanguine Nerei,
Quæ forma Rheni, Iſtri, Lycique,
Quæ facies miſeranda terræ!
Regina mundi non ſuperabilis
Germana tellus, lubrica ſanguine,
Confoſſa telis, uſta flammis,
Vix tenuem trahit oris auram.
Caligo densâ nube Bohemicum
Involvit orbem: Vandala Moravus
Expertus arma eſt; Alſatamque
Oſtrogotho tenuit lupato
Mavors rebellis: flamma Sileſios
Exhauſit agros; Weſtphaliam ſitis
Exuxit armorum; & Gothunnus
Per Bavaras equitavit oras.
Jactata bellis ſæpè Boruſſia
Undavit alto ſanguine civium,
Multusque Franco, multus arctum
In cinerem Pomeranus ivit.
Illa inſolentis Virgo protervjæ,
Superba magni robore Caroli
Olim repreſſo, nunc probroſum
Parthenope in cinerem flagravit.

Fero-

Ferocienti Lipſia non ſemel
Prædam Gradivo non tenuem dedit;
Senum, Sacerdotumque mixtum
Herbipolis gemuit cruorem
Inſtante Adolpho: vidit aheneis
Suos catenis ludibrio trahi
Bamberga Patres, & Senatum
Vandalicis dare terga lixis.
Auguſta multo fervida milite
Bis ceſſit hoſti: & jam propè tertiam
Cladem dediſſet, ni paratis
Suppetias LEOPOLDUS armis
Tandem tuliſſet. Gloggavia utraque
Flevit ſuorum funera civium;
Flevit Briſacum, Gallicanos
Impatiens tolerare frænos.
Quod Bruna nondum ſedibus eruta
Suis fatiſcat, gloria Martij
Eſt magna Souſæ, ſed ruinis
Ampla tamen cecidêre tecta.
Adhuc in ipſo fert Olomucium
Sinu Gothunnos. Quid memorem mare,
Portusque Sudanos frequente
Thyſſagetûm trepidare Luna?
Aut quid Caneas non reparabili
Damno ſepultas, quando Othomannicis
Per valla, per muros in Urbem
Fecit iter fúriatus ardor.
Hæ Martis artes, otia prælio
Turbare; cædes, vulnera, funera,
Strageſque miſcere, & cruento
Interitu ſepelire mundum.

 O qui

O qui beatæ pacis in otio
Æterna Divi ſecula ducitis,
Favete tandem, ac exulantem
Imperio, revocate pacem.

AD MARCUM TIMONIDEN J. U. DOCT.

ODE XXVI.

Medici ad Rempublicam idonei

ET nos potentes in bona publica
Viros paramus, diſcite poſteri
Non ſola Brutorum, aut Numarum
Ægeriæ alloquio tumentum;
Aut Juliorum nomina faſcibus,
Et Romulæis digna ſecuribus:
Et nos Atlantes, publicumque
Fulcra damus vetitura lapſum,
Lauros, Steberos, Matthiolos, Crotos,
Cuſpinianos, & Medias rotas,
Aichſpaldiosque, Salviosque, &
(Ne tumulis nimium vetuſtis
Manes vocemus) vivit adhuc ſuper
Gratâ verendus canitie Pater,
Regum voluptas, Cæſarumque
Certa ſalus, Libitinæ, & acer
Rechperger ultor, cui ſua congerit
Virtus honores; cui niveum caput,
Sed acre pectus, mensque celſa
Portat adhuc animam recentem.
Cui candor alti proditor ingenî
Frontem ſerenat; cujus in aureis

Oracla

Oracla labris mella verbis,
Alloquio geniale nectar.
Vivit ſuperſtes Lucifer ingenî,
Scientiarum Condus & omnium,
Decus Viennenſis Minervæ, &
Præſidium Managetta primum.
Quem copioſæ fama ſcientiæ
Multæque Lauri plauſus amabili
Attollit alâ, quem ſequaci
Nobilitat popularis auræ
Clamor triumpho: Sceptra Academica
Verſare doctus, regnaque Palladis
Fulcire; quem grato tumultu, &
Compoſitis venerantur umbris
Lycæa Phœbi. Diſce TIMONIDES,
Quamvis lacertos ſubjiciat bono
Aſtræa communi, & labantem
Suſtineat ſubeunte nervo
Mundi ruinam; nos quoque pendulam
Urbis ſalutem, & funera ſæculi,
Minasque mundi ſuſtinere,
Et dubijs vigilare rebus.

AD ANDREAM COTTILVM.

ODE XXVII.

Pax auro venalis eſt.

FElicitatis gaudia, COTTILE,
Parantur auro. Sæpe ferociam
Pacavit argentum, & repenſis
Prælia detumuêre nummis.
Cui multa Perſis divite de ſinu

Tributa pendit Pygmalionia,
Tagusque diſtentam flagellat
Divitiis opulentus arcam,
Hunc fauſta cornu divite copia
Ultro ſequetur. quâ radiantium
It grando nummorum, & refuſi
Per populos vagus imber auri,
Illac honeſtam pulchra pediſſequa
Trahit quietem, non ſine plauſibus
Redempta pax, & advolantes
Integritas comitata riſus,
Luſusque, & albis otia curribus,
Moresque amici, & blanda ſerenitas
Tranquillitatis, & fidelis
Propoſiti ſtudioſus ardor.
At retro vis, & prodigialium
Circùm coronâ cincta tumultuum
Ceſsêre bella, pallidusque
Ora pavor, gelidique damna
Funeſta ferri; quosque minantibus
Bellona dextris torſit acinaces,
Luctusque, mœrorque, & dolores,
Et Tragici ſimulachra Lethi.
Pax conſtat auro: civibus otia
Emuntur auro: prælia mœnibus
Pelluntur auro: auro quieta
Temperies reparatur Orbi.

AD

AD FRANCISCUM PERONIUM MERCATOREM.

ODE XXVIII.

Damnis auri & argenti propoſitis, dehortatur à nimio hujus cumulandi ſtudio.

VErum eſt : cruenti materies mali
Parensque curæ, & ſollicitudinum
Aurum eſt, & argenti & micantis
Splendidior ſeries metalli.
Auri libido concutit urbium
Muros ruinis; pergama diruit,
Convellit arces, urbibusque
Heu miſerum malè nudat Orbem!
Aurum procellas ſuſcitat alitis
In arva ferri, & grandine plumbeâ
Proſternit agros, & volante
Igne ſacras populatur arces,
Divûm penates. turpis amor nihil
Intaminatum deſerit : otium
Proſcribit, & natos, patresque
Per Tragicas inimicat iras.
Auro perimus : mergimus improbi
Felicitatem, dum malè montibus
Scrutamur aurum; & queis metallum
Eruimus, ſepelimur umbris.
O cæca flavo pectora fulgetro
Fallacis auri! ô ſollicitudinum
Mentes avaræ! quò inquieti
Imperium tibi gleba cordis
Aufert, PERONI? quò rapit impotens

Sitis metalli? diſſociabile
Quò ſcindis æquor? per furentis
Quid toties pelagi procellas
Urges carinam? Divitis Indiæ
Faſtidioſis eripe fluctibus
Mentem ſepultam, & blandientis
Fata Midæ ſpecioſa greſſu
Aude ſuperbo proterere. Eripis
Morſu Promethei, Ixionis orbibus,
Et Syſiphi impendente mole,
Et Tytii laceratione
Mentem; metalli ſi eripis aurei
Amore pectus. Pauperis inſciæ
Curæ mapalis, huc ſequuntur,
Quò præiit ſacer æſtus auri.

AD B. V. MARIAM.

ODE XXIX.

MARIA *liber generationis.*

VIdimus cœlum Sapientis arte
Numinis factum. Liber eſt: character
Sidera, ornatus radii; Planetæ
Litera major: *Iſa.* 34. *v.* 4.
Non legam. non eſt melius ſerenæ
Mentis hic lumen; Sapientiæque
Incapax cœlum, nequit æviternam. 3. *Reg.* 8.
Claudere lucem.
Vidimus magnis hominem figuris
Arte deſcriptum. Liber eſt: in ipſo
Frontis aſpectu DEUS Author; intus
Linea recti.

Non

Non legam. Poſtquam maculatus atrâ
Labe peccati, prohibetur, Orci
Debitus flammis. DEUS inquinatas
Non amat ædes.
Vidimus latè ſpaciantis Orbis
Machinam effuſam. Liber eſt; peritis
Litibus quondam benè deſtinatus *Eccl.* 3.
Lege Tonantis.
Non legam. Cœli rapientur ignis
Impetu, ſolvent elementa flammæ, 1. *Petr*
Devoratorem malè ſuſtinebit
Terra colorem. *Luc.* 1.
Te legam VIRGO. Generationis
Es liber. parvus; Sapientiam in uno
Contines Verbo, quod amante ſcripſit
Spiritus umbrâ.
Te legam VIRGO. reliquis carentem
Me libris MATER facilis docebis
Unicum Verbum: quod ubi tenebo
Omnia noſcam.

AD SEVERINVM CORDVM.
ODE XXX.

Quis ſit Felix?

NOn ſaxis ebur Indicum
Incumbens Bariis; non laquearia
Gemmis Indus inambulans;
Non veſtis Tyriis tincta coloribus,
Non frontis nitor aureæ
Felicem faciunt, nec Mareotici
Vectigalia marmoris:
Non quidquid Lybicis verritur areis,

Sitis metalli? diſſociabile
Quò ſcindis æquor? per furentis
Quid toties pelagi procellas
Urges carinam? Divitis Indiæ
Faſtidioſis eripe fluctibus
Mentem ſepultam, & blandientis
Fata Midæ ſpecioſa greſſu
Aude ſuperbo proterere. Eripis
Morſu Promethei, Ixionis orbibus,
Et Syſiphi impendente mole,
Et Tytii laceratione
Mentem; metalli ſi eripis aurei
Amore pectus. Pauperis inſciæ
Curæ mapalis, huc ſequuntur,
Quò præiit ſacer æſtus auri.

AD B. V. MARIAM.

ODE XXIX.

MARIA *liber generationis.*

Vidimus cœlum Sapientis arte
Numinis factum. Liber eſt: character
Sidera, ornatus radii; Planetæ
Litera major: *Iſa.* 34. *v.* 4.
Non legam. non eſt melius ſerenæ
Mentis hic lumen; Sapientiæque
Incapax cœlum, nequit æviternam. 3. *Reg.* 8.
Claudere lucem.
Vidimus magnis hominem figuris
Arte deſcriptum. Liber eſt: in ipſo
Frontis aſpectu DEUS Author; intus
Linea recti.

Non

Non legam. Poſtquam maculatus atrâ
Labe peccati, prohibetur, Orci
Debitus flammis. D E U S inquinatas
Non amat ædes.
Vidimus latè ſpaciantis Orbis
Machinam effuſam. Liber eſt; peritis
Litibus quondam benè deſtinatus *Eccl.* 3.
Lege Tonantis.
Non legam. Cœli rapientur ignis
Impetu, ſolvent elementa flammæ, 1. *Petr*
Devoratorem malè ſuſtinebit
Terra colorem. *Luc.* 1.
Te legam V I R G O. Generationis
Es liber. parvus; Sapientiam in uno
Contines Verbo, quod amante ſcripſit
Spiritus umbrâ.
Te legam V I R G O. reliquis carentem
Me libris M A T E R facilis docebis
Unicum Verbum: quod ubi tenebo
Omnia noſcam.

AD SEVERINVM CORDVM.

O D E X X X.

Quis ſit Felix?

NOn ſaxis ebur Indicum
Incumbens Bariis; non laquearia
Gemmis Indus inambulans;
Non veſtis Tyriis tincta coloribus,
Non frontis nitor aureæ
Felicem faciunt, nec Mareotici
Vectigalia marmoris:
Non quidquid Lybicis verritur areis,

Aut dives fodit Occidens.
Sorti pauperies incubat aureæ,
Mordax Migdonias opes
Cingit ſollicitis cura pavoribus.
Perſonata beatitas
Mendaci ſtibio picta, per aurea
Regum fulgurat atria.
Auctam conſequitur cura pecuniam,
Aurum pallida ſervitus.
Incorrupta quies ſtrata potentium,
Et cœnas fugit Attali.
Non Tarteſſiaci Numina gurgitis,
Lambentemque loquacia
Indum Memnoniis littora bracteis
Si, CORDE, in tua limina
Derives, ſtabili ſorte beaberis.
Felix cui Babylonios
Luxus, & comites conditionibus
Daunis ſollicitudines
Curtæ cura rei corrigit, & manu
Parcâ demetitur Ceres:
Cuî non vel Cilicum cura, vel aureis
Undat Lydia meſſibus;
Quem non vana trahunt eſſeda gloriæ,
Non princeps populi Favor.
Hic merſum tenebris, & medium polo
Aequâ fronte videt diem:
Hic nec Tyndarîdum gaudet ad otia,
Nec flet prælia Pleiadum.
Et nullum Dominos pectoris ardui
Faſces ponit ad arbitrum,
Ad nullum timidus ſortis aculeum.

ODE

ODE XXXI.

Decet Clementia Regem.

EXaſperatâ nube ſupercili
Terrere vulgus, fulmine frangere
Vocem, & cothurnato ſuorum
Colla ſuper pede inambulare,
Regem vetabo. tergite barbaras,
E fronte nubes ex oculis minas,
Ex ore ſpumas, ferreasque
Ex animis, manibusque flammas.
Cui ſemper atri funeris arbitra
Madet recenti ſanguine dextera,
Et ſæva gaudet ſubditorum
Per jugulos animaſſe tela;
Regnare neſcit. Non benè cœdibus
Fundantur vrbes; non benè ſanguine
Oſtrum coloratur, nec ardet
Fulmineo benè dextra ferro.
Sitire cœdes, tigridis indoles
Eſt, vel leonis. Fervor acinacis
Exhaurit urbes, cùm tyranno
Incubuit maleſanus ictu.
Correcta plani ruga ſupercilî,
Mitisque Regem dextera condecet.
Inviſus es? depone ſceptra:
Regna diu timor occupare
Neſcivit unquam. Cœdibus aggeris
Cruente cœdes? Jam tibi ſtringitur
Vindicta de cœlo. Superbos
Non patitur DEUS imperare

Diu Tyrannos. Accumulas neci
Neces recenti? deſine Rex tuis
Poſthac vocari. ſemper ardens
Regna chalybs malè temperavit.
Nutus ſeveris nutibus aſperas
Obliqua ſpectans? Civibus igneas
Infundis iras. quot ſiniſtro
Ore vides, totidem vident te
Vultu ſiniſtro. Vis popularibus
Timendus undis ire? prior time.
Hæc certa lex eſt: qui timeris,
Diſce prior timuiſſe multos.
Clementiores ergo ſupercilî
Nubem ſerenent duplicis Irides,
Frontemque riſus explicatam
In populos Proceresque vertant.
Blandis emuntur pectora riſibus.
Tam pervicaces nemo Liguſtica
De rupe contraxit medullas,
Quas nequeat tenor explicatæ
Mollire frontis. prodita Caucaſi
Sub caute tigris, vel Borealibus
Leæna ſaxis, blandiores
Depoſitâ feritate mores
Diſcunt, magiſtri cùm facilis manus
Demulcet iras. Ut vice Numinum
Rex ſceptra tractat, ſic Deorum
Ingenuas imitetur artes;
Parcus cruoris, cœdium & abſtinens,
Et fulminantûm neſcius enſium;
Niſi in rebellantûm furores,
Lenta decet manus imperantem.

A D

AD D. FRIDERICUM PLANCK.

ODE XXXII.

Cùm Juris Utriuſque Doctor crearetur.

ISter nobilium pater
Undarum, profugam Parrhaſias ſuper
Boötæ ſenis orbitas
Aſtræam patriis ſuſcipe pulpitis.
Non jam Romuleo latus
Inſignita Numâ nubivago polum
Præterlabitur impete;
Arctöasque nives, & pigra frigidis
Viſit plauſtra Trionibus:
Non jam Cecropidum, non Lacedæmonum
Leges, & veterem Themin;
Non obſeſſa reis pulpita ſuſcitat.
En primis melior roſis
Auroræ reducis, par radiantibus
Pulchræ riſibus Iridis,
In terras Zephyris vecta jugalibus,
Damnato revehit polo
Secum Dardaniis jura Quiritibus,
Dictatasque Lycurgicis
Leges judiciis: hic ubi Cæſarum
Iſter mordet aquâ lares,
Appendit trutinam ponderis arbitram;
Cui longo procul ordine
Adrepunt calidis turba laboribus:
At te candida gemmeæ,
FRIDERICE, manent præmia Virginis.

Cernis? pendula nubibus
  Certantes animos perfidiâ fugæ
Fallit Tantaleæ, & tuas
  Pulſat Diva fores: excute conſciam
Noctem nobilis otii,
  Et magnis animam ſuffice præliis.
Non multum tumulo abdito
  Diſtat ſepoſitus miles in otia:
Cùm Mars increpat æreis
  Campum fulminibus, magnæ animæ capax
Pectus deſidiâ exilit,
  Et quacunque ſequi Mars jubet, emicat.
Talis fervida jurgiis
  In campum Themidos provocat: emicas,
Ductricemque præis Deam
  Capturus trutinæ præmia penſilis:
Cujus ne dubiâ latus
  Linguâ diſſimili lance gravem trahat
Molem, jure Quiritium
  Virtutem ſociam juribus alligas.

AD D. PETRUM FRANCISCVM HOFFMAN AB ANCKERSCRON.

ODE XXXIII.

Cùm Juris Concluſiones propugnaret.

LEges Solonis, jura Lycurgicâ
Notata virgâ Romulei Numæ

Nocturna

Nocturna dictatrix Virago, &
Cecropidum Themis obſoleta,
Injurioſas excute pulveris
Prementis umbras, impedientium
Moras ſepulchrorum, & reductam
E tumulo rediviva frontem
Oſtende luci. Te malè ſegnibus
PETRUS ſepulchri provocat otiis,
Vitaque donat: ſat quieti
Funereæ, tumulique legi
Datum. Novato jure Promethei
Vitam ſepultis ſufficit artubus
PETRUS, profundos dum eruditæ
In Themidos penetrat receſſus.
Felicitantur vota! ſilentio
Leges Lycurgi, quo Lacedæmonum,
Et Romulæi virga Regis,
Et Themidos rediviva ſurgit
Cohors ſepultæ, ſcilicet evocas
Tu pertinaci PETRE ſcientiâ:
Dum vel Cleanthæâ lucernâ
Exſuperas tenebroſa noctis;
Vel Solem adæquas ingenii face.
Sic perge porrò pulchra laboribus
Exempla deſcribe; inſequemur
Fratris iter, ſtudiumque famæ.

AD BACCALAUREOS THEOLOGIÆ.

ODE XXXIV.

Sapientia ædificavit ſibi domum. Fundamenta ejus in montibus ſanctis. PSALM. 86.

NOn Dindymenes teſqua ſonantibus
Impulſa ſiſtris, non Erycis juga,
Aut terga Cynthi, murmuranſvé
Caſtaliis Aracynthus umbris
Sublimiori dat Sapientiæ
Sedem: nec udæ vile perambulat
Terræ pavimentum, Deorum
Concilio ſuperoque Patrum
Mens nata cœlo. Delphica turgidum
Mendaciorum ſtemmate nobilis
Cortina Pindum; Dindymumque
Nobilitent Corybantes ære:
Diviniori culmine olympicis
Maritus oris, mons Sapientiæ
Molitur ædem, quam nec atri
Hippotadæ quatiant tumultus;
Nec fulminantûm murmura nubium
Sternant procellis, aut necibus graves
Tonantis iræ, vel cadente
Concutiat fragor orbe natus.
Non ille terræ progenitus ſatu
Eviſceratæ conſtitit arduo
Jugo ſuperbus, ſed parente
Rupe ſatum meminêre Patres.
Nam monte quondam, non ſine Numine,

La-

Lapis reciſus contudit ardui
Molem Gigantis, proprioque
Præcipitem tumulavit auro.
Alterque natus celſior aſpici
Vertex in auras crevit, & ætheris
Exceſſit orbes, obviasque
Æolidum ſuperavit iras.
Hinc diva ſævos Hippotadæ choros,
Hinc mugientem deſpicit Æolum,
Oſtroque fulgens jura cœlis,
Jura ſolo, pelagoque dictat.
Laborioſæ vi Sapientiæ
Huc vos amatis tendere. Pergite:
Hinc plebis undas, hinc premetis
Vulgus iners, dubiamque ſortem.

AD EOSDEM.

ODE XXXV.

Texit quoque domum laquearibus Cedrinis.

2. PAR. 2.

Sapientia non interit.

Superba quiſquis Pergama Mempheos
Minata cœlis, aut Halyatticæ
Pompæ lacunar, barbaraque
Tecta ſtupes laqueata prædâ;
Sortis memento: quæ vice lubricâ
Faſtigiatis invidet ædibus;
Ludumque ludens pertinacem,
Cùm vigilans venit Heſperugo
Turres potenti ſubruit impetu,
Quas vidit Eos Mygdoniâ graves

Ful-

Fulgere prædâ, ſubrutaſque
Perfidiæ monumenta ponit.
Nihil perennat: dente per omnia
Edax vetuſtas ſtringitur invido;
Gaudetque magnorum ruinas
Funereo ſepelire faſtu.
At non fugacis temporis orbita
Ætate feſſum pegma vorabitur,
Nec dente dilabentis ævi
Carpta ruet Sapientis aula.
Illam perennis Cedrus inambulat,
Vitâque donat, quam neque pallida
Neceſſitas ſternat, nec ætas
Immemori tumulet ſepulchro.
Hac vos beatæ vis Sapientiæ
Benè auſpicatis ſideribus dedit
Sederè, Baccâ Laureati,
Et tumulis nova jura ferre.
Ut ſævienti vita ſuperſtites
Fato ſepulchri, & funereæ facis
Reſervet immunes, neciſque
Imperium ſuperare donet.

AD D. SIMONEM FRANCISCUM.

ODE XXXVI.

EPITHALAMION.

Alludit ad Pomum Gentilitiam.

INſanientûm dure Decembrium
Nepos, gelatâ grandine barbare
Tyranne, pone inauſpicati

Sar-

Sarmaticas Aquilonis iras.
Procul ſonantes Hippotadæ impetus,
Licentioſæ trux furor Arcadis:
Non poma debemus Capellæ
Oleniæ ferienda cornu;
Aut ſævientis ludibrio Noti,
Senisque canis legibus Arctici.
Injurioſas ſive in Hæmo
Ore nives operoſiore,
Sive in remotis Thyſſagetûm jugis
Compone: Pomus luxuriantium
Dum vere frondeſcit comarum,
Et dominis ſpatiata ramis
Cognata cœlo brachia porrigit.
Arbor ſeveri neſcia turbinis
Nil debet algenti Trionum
Imperio, nihil Orioni.
At tu, vagantes cujus inambulat
Oliva crines, Iride tempora
Diſcriminata Fauſtitatis
Et Charitum generoſa proles,
Pax, diſſidentûm neſcia litium,
Pax innocentis pectoris hoſpita,
Tranquilla mundi ſoſpitatrix,
Cordis amor, requies laborum;
Deſcende cœlo Diva, ſatellite
Latus jocoſum cincta Favonio,
Cœlumque contractum ſerenet
Compoſitis Zephyritis auris.
Audimur! alti margine labitur
Vocata cœli Pax, & amabili
Stipata cœtu grandinantis

Caſtra

Caſtra fugat malè ſana Cauri.
Succedit albis gemmea Fauſtitas
Invecta bigis, ſeque volatilis
Per frondium jactat virores
Quos & aquis fovet, & Favoni
Adulat auris. Hinc popularibus
Undis ſuperbum Diva levans caput,
Quæ poma Pace obſtetricante
Arboreâ generabit umbrâ!
Qualem miniſtri fulminis alites
Examinârunt Solis ad orbitam
Parente plenam, patriique
Plenam animi, generiſque prolem;
Qualemvé lætus Marmaricus Leo
Exoſculatur; cùm videt arduæ
Virtutis hæredem, jubæque,
Teſqua pari ſuperare curſu.
Virtus parentum per ſobolem fluet,
Fingetque pectus vilia pertinax
Calcare, & hæredem paternæ
Juſtitiæ, decoriſque mentem.

AD MILITES

ODE XXXVII.

De tollenda ebrietate.

CUpediarum tollite nundinas,
Graveſque multâ merce Thyonei
Levate menſas, & Falerno
Sigma madens, Bromiique caſtra
Conſcripta Coo littore, Milites,
Efferte caſtris. Inter Apicii

Calæ-

Calæna, Lucrinoſque purus
Sæpè cados animus natante
Letho dehiſcit. Mens ibi nubila eſt,
Ubi Faliſco vitra nitent mero.
Regnum voluptatis modeſti
Lora animi caveamque rumpit.
Tunc quidquid alto pectore ſederat,
Mali latentis, liberioribus
Se prodit auris. Impudicus
Vilem animi profitetur ignem,
Crudelis iram, lividus invidæ
Venena linguæ publicat, arrogans
Mentem ſuperbam, ac inſolentes
Se petulans agit in choreas.
Erumpit ignis, quà ingreditur merum:
Interque feſtos Baſſarides jocos
Vel bella miſcent, vel cruento
Penthea dilaniant furore.
Quid verba labris pendula, quid caput
Vertiginoſum, quid dubium gradum,
Quid mota tecta, & turbinatos
Commemorem vitio Falerni
Errare vultus? conſilium exulat,
Ubi hoſpitantur vina. Quid ingenî
Cotem vocatis? Quid fluentis
Eloquii ſobolem, Lyæum?
Non credo. Linguæ, dixero, balneum,
Mentis ſepulchrum, judicii heſperum;
Et viſcerum vermem, & fugatæ
Exilium rationis; inter
Reciprocantes delicias, patrem
Tot lachrymarum, naufragium boni,

Scyl-

Scyllam ſalutis, vel Charybdim,
Quæ patrium decus omne ſorbet.
Non hæc parentum per probra maſculus
Decurrit ardor. vidimus arduæ
Avara famæ corda quondam
In viridi recubare menſa,
Artuſque ſtratos prætereuntium
Potare aquarum flumine, vel cavâ
Haurire dextrâ, militemque &
Cornipedem ſimul in parato
Sitim fluento mergere: mox ubi
Tonante fortis prælia claſſico
Mors imperavit, glorioſum
In clypeum ruere, inque ferrum,
Mori paratum, aut vincere. Tollite,
Antiqua menſis vinifluis ſuper
Deſcripta Patrum bella: vires
Fontis aquâ meliùs bibuntur

ODE XXXVIII.

Regnum Sapientis.

Quid æſtuoſo mentis anhelitu
Faſces Quirinos, & Capitolium,
Boryſthenemque, Colchidemque
Pegaſeo petimus volatu?
Quid ſceptra ferri lege paciſcimur
Rotata Pyrrho? quidvé Agamemnonis
Venamur oſtrum, vel rubentes
Oſtriferæ latices Abydi?
Non Dædalæis quem populos ſuper,
Urbeſque, turreſque, & maria extulit

Libi-

Libido ceris, & ſub aſtra
Remigibus dedit ire pennis
Fortuna; non quem Lemnos & Iſmara,
Diveſque Seſtos dives Acarnia
Gemmis, Palatinæque rupes
Suppoſito venerantur oſtro,
Regem vocabo; ſi vacuum gemat
Caput Minervâ, nec popularibus
Pectus catervis majus imam
Spernat humum fugiente pennâ.
Periculoſâ ſemper ad ardua
Spe navigatis, quos diadematis
Urunt Mycænæi calores,
Aut animos tituli fatigant.
Rex eſt, Minerva pectoris impetum
Qui flectit omnem, qui per inhoſpitas
Sublimis incedit procellas,
Et domino pede calcat iras.
Qui parva ſpernit, nec nimis ardua
Prudens laceſſit, parcus & occupat.
Lenocinantem ſortis auram,
Cùm poſito jacet æquor æſtu.
Qui cum levatur, nube modeſtiæ
Vultus obumbrat; cùm premitur, tamen
Stat mente; nec labens honoras
Ullo animi patitur ſecures
Rapi tyranno: qui ſibi vendicat
Regnum ſui, nec ſollicitat bona
Caduca, quæ Dii remotam
Trans animi poſuêre ripam.
Qui, ſi minentur fulmina, ſuſtinet;
Si urat voluptas blandior, abſtinet;

Si

Si corda rimentur furores,
Diſſimulat doluiſſe vulnus,
Magnum elocutus: ſunt puerilium
Larvæ timorum, vulnera, funera,
Cœdeſque, ſtillatuſque ſanguis,
Excidium, & laniatus, artus
Avulſus artus. Me Scynis Iſthmia
Suſpendat orno, vel thalamo pedes
Brevi Procuſtes metiatur;
Non brevius erit inde pectus.
Me trans gementem à Phaſide Colchidem
Agant tyranni, me Geta, me Scythes,
Et ſanguine enutritus flagellet
Beſſus, Achæmeniumque ferrum.
Nuſquam Viris eſt exilium: ætheris
Quâ vaſta mundum circuit orbita,
Terrasque Neptunus flagellat,
Eſt patrius Sapientis aër.
Ubique doctus vivere, patrias
Ubique ſedes invenit, aut facit.
Quam calco terram, quodque ſpecto,
Nemo poteſt rapuiſſe cœlum.
O Rex beatum pacis ab otio
Cui ſervit ævum; cui Sapientia,
Domi Senatum, Conſulemque,
Conciliumque Patrum educavit;
Et omnis intra pectoris aream
Vivit Senator: ſic Sapientia
Regna; unde verum diſcat Orbis
Imperium Sapientis eſſe.

A D

AD R.D. NICOLAUM MRAV, &c.

ODE XXXIX.

Vir Sapiens ſuo magnus.

NOn quem tributo ſervus inambulat
Gemmante Nerêus, cui Babilonii
Sudant labores, aut Arachnes
In Tyrio manus errat oſtro ;
Non cui flagellat Pygmalionium
Vectigal arcas, cui laquearibus
Inſerpit Hermus, divitisque
Oceani rigat unda limen,
Magnum vocabis. Pumilus editâ
Pindi vel Oſſæ in fronte ſuperbiat
Major videri, ſemper idem
Nanus erit, nec ab altiorum
Statura creſcet vertice montium.
Subjecta moles nulla virum facit.
Nec Oſſa, nec Pindus, nec Hæmi
Taygeti juga preſſa dorſo.
Tumere quamvis exterioribus
Detur, negatur creſcere; de ſuo
Virum æſtimabis. Mutuata
Laus, animi eſt nota vilioris.
Quæ Cypris unquam pulchrior aſpici
Ceruſſat ora, aut quæ ſtybio genas
Charis venuſtavit? Meduſa eſt,
Quam facies peregrina honeſtat.
A propriorum quemlibet æſtima
Cenſu bonorum. Sit precioſior

Gem-

Gemmata vitis, ſed Falernum
Non melius dabit illa prælo.
Non certiores illa per æquora
Sulcos arabit navis, Eteſias
Quæ captat auro fluctuante,
Vel Phrygio faciles labore
Irritat Euros. Illa per obvios
Scyllæ latratus, & pelagi graves
Inter procellarumque rixas
Oceani domitrix natabit,
Cûi firma puppis, ferrea cûi latus
Compago nectit. Nec phaleris equum
Metimur aureîs, nec micante
A capulo chalybem æſtimamus.
Et invidendis quæ Sapientia
Parat theatris Numina gloriæ,
Hoc æſtimemus apparatu
Arbitrio popularis auræ?
Viri ſuorum laude domeſtica
Gaudent laborum. Ne mihi Synnadam
Mirare, vel ſervam Caryſton,
Vel pedibus famulantem Achatem:
Quando arrogatis laudibus altior.
Virtus virorum dat precium ſibi,
Nec ambit externos honores
Ipſa ſuis trabeata flammis.

AD

Ad Illuſtriſſimum

D. FERDINANDUM COMITEM DE NACHOT, &c.

ODE XL.

Sapientia Virtuti jungenda.

QUid compta gemmis, ſed ſine acinace
Vagina proſit? quid ſine nucleo
Cortex juvabit, vel liquore
Bâlſameo viduata pyxis?
Virtute demptâ deme ſcientiam
Fruſtra paratam. Non ego Cynthii
Velim recurſus, Cynthiæque
Scire vias, vigileſque cœli
Notare flammas, prælia Tethyos,
Gyros Charydis, bellaque Circii,
Fluctuſque, & Euripos, & iras
Noſſe vagi per inane teli;
Marita virtûs ni Sapientiæ
Nubat paratæ. Quamlibet aureos
Per terga Cynthi, per Stagiras
Fama citet ſtudioſa currus;
Et Dædalæo nominis eſſedo
Sûpra jacentes te popularium
Evolvere undas allaboret;
Nunquam apicem ſoliumque veri
Premes honoris; ſi furor impotens,
Metusque, & iræ ſeditionibus
Pectus laceſſant, aviusque
Lora pati neget appetitus.
Vel ſi Dione pectoris aream

Telis coronet, vel Cyprius puer
Per uſtulatas igne fibras
Trinacriis potiora flammis
Venena ſpargat: ſi minor aurei
A umna cœli mens popularibus
Volvatur undis, nec Deorum
Concilio ſociata, vulgus
Inter prematur. Quiſquis in orbitâ
Scientiarum mœnia gloriæ
Laceſſis, auguſtam laboras
Imperii ſuperare molem.
Si prælantis dirigat impetum
Bellona Virtus, viceris; & novi
Pulvinar inſumes honoris
Sceptra, jubar, cydares, ſecures.

AD EVNDEM D. COMITEM.

ODE XLI.

Vir ſapiens ſemper idem.

NOn ſi cruentum ſanguineâ manu
Mavors Ceraſtem torqueat, & fero
Bellona procedens flagello
Excidium populorum, & ipſas
Orbis ruinas labilis intonet;
Et jam propinquâ cœde minacior
Inſultet enſis, ferreamque
Diluvies inimica flammam
Provinciarum in funera ſuſcitet,
Paſſimque tabo ſparſa cadavera
Natent profuſo, ac inſolentis
Mœſta gemant ſimulachra Lethi;

Suâ

Suâ evolutus ſede movebitur,
Divinioris cûi Sapientiæ
Ardor medullas roboravit;
Sed trepidi generoſus orbis
Feret ruinas. Scilicet eminet
Mortale ſupra. Tyro minantium
Palleſcit aſpectu ſariſſarum,
Ad fluidos veteranus imbres
Gaudet cruoris. Nil violèntia,
Nil vecta ſævis bella tonitruis,
Nil concatenati tumultus
Intrepidam Sapientis arcem
Unquam movebunt. Impavidus Leo
Pulchrâ latrantem ſæpè ſuperbiâ
Ridet catellum: nec Moloſſus,
Dum geminat Melitæus iras,
Obliquat hirquos. Vilia deſpicit
Heroa virtus; par ſibi, ſeu diem
Sol elaboret, ſeu tenebras
Nox patriis trahat Orci ab umbris.
Eſt ſemper idem, ſeu Tragico fremat
Sors in Cothurno, ſeu levioribus
Inducta ſoccis in cachinnos
Imperio leviore frontis
Solvat theatrum; ſeu mare inæſtuet,
Seu blandienti lenè Favonio
Inambuletur; ſemper idem eſt,
Ad vitream, ſolidamque ſortem.

AD EUNDEM D. COMITEM.

ODE XLII.

Sapiens caſuum & fortunæ domitor.

INeruditum fata premunt caput,
Timent Stagiram: ſcilicet omnium
Perſtare ſub rerum tumultu
Docta, poteſt dare jura fatis.
Interque diras non ſuperabilis
Ridere ſcenas: non popularium
Illam procellæ ſibilorum,
Non placidi movet aura vulgi.
Teſtis mearum turba Panætii
Sententiarum, quique Corynthio
Saxo laborati perennem
Marmorea ſimulant Myronis
In arte vitam: teſtis inambulans
Lauros Stagira, & Pythagoræ ſenis
Doctâ crepantes tuſſe ſellæ;
Quæque ſuo ad vigilem lucernam
Impalluerunt agmina Socrati.
Teſtis docentis Porticus atrii,
Senexque Cecrops, pulpitumque
Democrito quatiente laſſum.
Illi ruinas mentis ab arduo
Clivo tuentur, nec facilem ſequi
Auram oſculati, fronte eâdem
Tyndarides, Hyadesque ſpectant.
Hinc Diva ſcalpro Gloria nobili
Perennitati dedicat aureæ,
Vitâque in argento recusâ

Exi-

Eximios jubet eſſe fati.
Si te perito vertice penſile
Honoris aurum, ſi ſapientium
Theatra laudum, ac eruditæ
Sollicitat diadema frontis;
Hac verte greſſum; cætera pertinax
Calcare: franges temporis aufugi
Pennas ſuperſtes, protereſque
Imperium morientis ævi.

AD PHILOSOPHOS.

ODE XLIII.

Sapientia munimen eſt.

SUprema ſeris verba nepotibus
Decanto. Vivæ oſtendite ſæcula
Avara famæ, dum labantis
Pando locum ſoliumque Honoris.
Erratis: aulæ limina baſio
Quiſquis ſalutas, teque clientibus
Miſces, honorum nundinator,
Et decorum ſtudioſus emptor.
Quiſquis perennem Marte ſub æreo
Formidoloſi fulmine prælii
Famam aucuparis, hoſtiumque ab
Interitu trahis ipſe vitam.
Erratis: arctas Pygmalioniis
Si quos juvabit cenſibus areas
Beaſſe, vel gemmas liquenti
E tumulo maris eruiſſe.
Rebus colorem demite defluum.
Quo nundinaris vulnere gloriam,

Illo peribis. gemmam avarus
Quo rapies, rapiêre ponto.
Achate ſtrati liminis orbita
Eſt lubricorum ſemita caſuum.
Experta canto: Pallas una,
Una poteſt domuiſſe caſus.

AD MICHAELEM QUASIEN PHILOS. PROFESSOREM.

ODE XLIV.

Sapiens ipſe ſibi regnum eſt.

EXile regnum eſt, quod Tyrio jacet
Oſtro ſepultum. Quod Mareoticæ
Vectigal undæ, quid Syenes
Erigimus, colimuſque prædas?
Virtute penſat; non opibus DEUS
Mortale regnum. par probus improbo,
Prudenſque ſtulto eſt, ſi coacti
Divitiæ numerentur auri.
Rex eſt, beatum cui Sapientia
Nectar propinat, quem popularibus
Laurus theatris altiorem
Per medios jubet ire cœlos.
Hac arte nixus te MICHAEL rotis
Inferſ olympi, & per radiantia
Delubra Divûm, per quietas
Ætherei ſpatiaris orbis
Superbus arces: cui latus ambiunt
Scientiarum celſior aſpici
Chorus; ſequaces, quà volanti
Stelligeri patet aula cœli,

Tra-

Trahis cohortes. Tollite præpetem
Per aſtra Divæ; tollite nubila,
Quà Solis & Lunæ labores
Attonito vehit æthra cœlo.
Hac nos volantem turba minor Patrem
Audax ſequemur, donec Olympica
Lauro triumphantes, tumentis
Invidiæ ſuperemus iras.

AD SAPIENTIAM.

ODE XLV.

Laudat & commendat Phalinum.

QUem vel per auras non humili ſatu
Enixa Virtus, vel vigil obſtetrix
Lavas, & in niſus tenellum
Magnanimos acuis calorem;
Hunc vile terræ deſidis otium
Tranare docto pectore, & aureo
Pendere cœlo, nubiumque
Imperium penetrare cogis.
Hic ille Regum ſorte beatior
Rerum ruinas deſpicit, & metus,
Caſuſque, pugnantemque ſortem
Impavidus vocat in duellum.
Non ille (quamvis ſtemmate nobili
Satus) procellas divitis Indiæ
Scrutatur, aut pallens refoſſor
Dalmatico inſidiatur auro.
Non ſtructa feſſis tecta Cyclopibus,
Aut æviternos digna palatia
Laceſſere orbes, non theatra

Barbarico veneranda faſtu
Ambit Quiritum. dextera diruet
Humana, quidquid dextera ſuſcitat:
Natura ſubvertit labores
Sortis, iners vel edit vetuſtas.
Virtus, caduci neſcia temporis,
Si quæ virorum pectora muniit;
Vindex ſepulchri ſunerales
In cineres prohibet migrare.
Hac arte duras edomuit meus
Sortes PHALINUS: non humilem gravis
Extorſit iram, non ſuperba
Sors levior tumefecit ora.
Hunc tu jacentis vilibus erutum
Vulgi procellis, ô Sapientia.
Infer Stagyræ, & Laureato
Concilio adnumera Sophorum.

Ad Reverendiſſimum Dominum,
JOANNEM BAPTISTAM,
PRÆSULEM AD S. HIPPOLYTUM.

ODE XLVI.

Ei longam vitam precatur.

O Cui verendi nominis Infulam
Honor ſerenis crinibus implicat,
BAPTISTA PRÆSUL, cui minoris
Arva dedit ſuperare vulgi
Implexa ſacro gloria vertici:
Annis juventam deme prioribus,
Vitæque donandam futuræ
Canitiem melioris ævi

Aſſu-

Aſſume vivax; quam neque pulvere
Sibylla adæquet, nec ſenibus gravis
Tithonus annis, nec juventæ
Ipſe ſuæ reparator ales.
Vovere ſi fas plura: vovebimus
Fœcunda laudum ſæcula, ſæcula
Fœcunda honorum: exaggeratis
Dum meritis opibusque Divi
Gravem repoſcant. audior, audior!
Addixit æther: dum tenerum polo
Proferret oſtrum aurora, dixit,
Cedo diem tibi, cedo PRÆSUL.
Ceſſit: beatè eſt. Hinc, mihi credite,
Sui JOANNES nominis æmula
Lucerna erit lucens & ardens,
Si Superos mea vota flectunt.

AD PHILOSOPHOS.

ODE XLVII.

Honor Philoſophicis laboribus comparatur.

SI quem juvabit nominis auream
Caliginoſi nocte ſilentii
Famam eruiſſe, gloriæque
Pegaſeis volitaſſe pennis;
Si quem ſereno vertice penſile
Honoris aurum, vel Naſamoniæ,
Laudis theatrum, gemmeæque
Sollicitat diadema frontis;
Quamvis adæquet nobilis Imperî
Cum Sole metas, & propior polo
Deſpectet Argivûm trophæa,

Aut humiles ſtatuas Quiritûm;
Quamvis novato Laomedontias
Bello cohortes denſet, & æreâ
Phalange ſeptus æmuletur
Æmathiis ſatâ bella campis:
Non ille Theſeî nominis æmulam
Speret coronam, aut fulgura gloriæ
Inter tiaras, laureæque
Forte decus diadema frontis.
At qui cruentos depopulantium
Rictus ferarum, & prodigialia
Auſus venena tauriformis
Semihominis ſuperare monſtri.
Qui tortuoſâ Victor ab orbitâ
Ductore Creſſæ ſtamine Virginis
Effulſit, & fefellit arva
Ambiguo ſinuoſa flexu.
Unum ſequenti Theſea ſæculo
Tulit vetuſtas; ſi tamen ignea
Pectus laceſſit æmulandi
Ambitio cupidum nepotem,
In arma ſurgat. prodigialibus
Portenta monſtris edita prælio
Olim laceſſat invidendo.
Cùm decimi venient nepotes,
Et acta veſtræ ſculpta Corynthio
Laudis videbunt vivere marmore,
Et belluoſa monſtra flere
Mygdonio ſua damna ſaxo.

AD

AD EOSDEM.

ODE XLVIII.

Philoſophorum de fortuna victoria.

Credetis? Jo! ſera prioribus
Ætas nepotum crede parentibus,
Sortis triumphatæ labores
Palladiâ occubuiſſe dextrâ.
Hunc Diva, fluctus quæ regit Antii,
Pontum retexit, non reparabili
Afflicta damno, quam duello
Parva manus Sophiæ ſubegit.
Hic fuſa Gangis progenies ratis,
Hic Sardiani filius æquoris
Hydaſpe dives, dives Indo
Procubuit ſine laude malus.
Hic ſibilanti ſveta Fovonio
Vela adiocari, funereo jacent
Damnata ponto, hac ſupparorum
Turpe decus tumulatur urnâ.
Audete pubes poſthuma Martio
Exercitati pectoris impete
Laſſare Fortunam, & canenda
Poſt decimum dare bella ſeclum.
Inerme pectus parcite ſquammeo
Armare ferro, nec latus aſperis
Vallate ſcutis, nec minaci
Terga ſonent pharetrarum ab æſtu.
Virtus honeſto læta periculo
Non ære fuſis tecta timoribus
Bellare gaudet, vel recocto

Trinacriâ clypeo ſub Ætnâ
Munire pectus: non adamantino
Lorica nexu, aut impenetrabilis
Septemplicato parma ſuto,
Non Siculis Steropi caminis
Sudata caſſis præſtet ahenei
Securiorem fulgure tegminis;
Non arte Brontæâ gelata
Fulminei ſimulacra Martis:
Periculoſum pectus in aleam
Nudum propinans, fulmine ſævior
Metit reluctantûm procellam,
Et profugas acies fatigat.

AD PHILOSOPHOS GRÆCENSES.

ODE. XLIX.

Sapiens fluctibus jactatus non movetur.

PEriculoſæ plenum opus aleæ eſt
Tentare pontum, quando Aquilonibus
Exſuſcitatur, & procellæ
Æoliis equitantur auſis;
Quando pavendis Oceanus minis,
Et murmurantûm jurgia fluctuum
Jam jam fatiſcentem laceſſunt
Imperio graviore pinum.
Quem non avari terreat oſcitans
Vorago Nerei, vel grave montium
Murmur liquentûm, & ſævientis
Excidium Boreale ponti?
Sed non minaces pallet ad impetus

He-

Heroa virtus, docta Acheloios
Ridere fluctus, & Charybdim,
Cùm celeres agit in ruinam
Contorta giros: illa per invios
Scyllæ latratus, perque Ceraunia,
Pacemque, ferventemque pugnam
Æquoreæ dominatur iræ.
Sic nuper aurêo vellere ditior
Per mugientes æquoris arbitros
Pubes volavit Græcienſis;
Cùm liquido timefactus æſtu
Spumare pontus, fervere Nereus,
Immugientis murmura Circii,
Pugnæque ventorum natantem
Imperio violentiore
Urſêre puppim. Sed velut arduo
Tumens marinum vertice deſpicit
Calpe furorem, nec rotatum
Oceani pavet ad tridentem,
Tentata virtus fluctibus æquoris
Major refulſit; ſveta periculis
Emiſſe famam, & ſe ſequentûm
Volvere per ſeriem nepotum

AD PHILOSOPHOS.

ODE L.

Sapiens de Fortuna & voluptate triumphat.

FRuſtra cruento fumat anhelitu
Exaſperati incendia pectoris
Protrita ſub victorioſo
Philoſophûm pede fortis ira,

Fruſtra Voluptas, civis Hymettia,
Campana Siren, miles inertiæ,
Materque languoris laborat
Preſſa jugo relevare colla.
Apollinari quem Sapientia
Semel ſubactum ſub pede preſſerit,
Non ante dimittet, pudendo
Quàm barathro reſupinet artus.
Sic ille quondam fumi Acherontici
Proles Chelydrus, qui vitra Phocidos,
Cyrrhæque turbabat fluenta
Virgineis inimicus undis,
Pœnas veneni præproperi dedit;
Cùm ſulphurato victima Tænaro,
Phœbo cadens urgente, ſparſit
Mixta ſuis aconita ſpumis.
Sic & voluptas, ultima ſæculi
Fæx eruditi, ſic comes Antii
Regina calcatum furorem in
Tartareum exonerabit antrum;
Et pervicacis cornua ſpiritûs,
Aſſueta diris ſeditionibus,
Attrita plorabis profundo
Nequitiæ domitæ ſepulchro.
I peſtis Orbis, prodigialium
Proles parentum, quam Sapientiæ
In funera Orcus parturivit,
Et rabidis violens Megæra
Excepit ulnis, i, Phlegetontias
Inſume tædas: mergere, mergere;
Suiſque tormentis Mimanta,
Enceladum, Tytiumque ſolve.

AD EOSDEM.

ODE LI.

Celeuſma.

ENavigandis carbaſa pandimus
Tumultuoſi ſeditionibus
Freti. Favete ô Amphitrite, &
Nereidum vitreæ cohortes !
Vos otioſi littoris accolæ
Tritones, iras ſternite Nerei,
Et dormientis regna ponti
Æoliis animis parate.
Ut contumacis torva licentia
Maris reſedit ! nec freta inambulat
Metus procellarum, nec undæ
Implacidis equitantur Auſtris !
Aptate remos, & pede carbaſa
Firmate pubes, pergite Tethyos
Favente ſomno: non ſiniſtro
Unda feret famulata curſu,

AD CRISPVM.

ODE LII.

Memoriam mortis ingerit.

EHeu ! fulmineis CRISPE volatibus
Anni prætereunt; nec fugientia
Feſſæ tempora vitæ
Vel vis, vel mora detinet.
Vix enata dies, ſe tacitis agit

In

In noctem cythiſis; in ſenium fluunt
  Criſtæ verticis aurei,
    Mentisque indomitæ vigor.
Nulli fata licet ſiſtere: pergimus
Omnes funeribus debita victima;
  Calcamusque ſepulchrum,
    Quod fruſtra fugere arduo
Conatu cupimus. Ferreus ad pios
Stat Judex gemitus, non lachrymabili
  Flectendus prece, nullâ
    Exorabilis hoſtiâ.
Seu Regum gravior ſcena Quiritium,
Seu Codri fuimus; meta relinquimur
  Letho, cujus in omnes
    Exercet pharetram furor.
Quot jam Geryones aſperioribus
Nutritos ſtudiis depoſuit ſolo?
  Quot nullis ſuperandos
    Olim viribus Hectoras
Exceſsêre Midæ; quæque ſuperbia
Formidanda dedit nomîna, ſtragibus
  Stant congeſta, brevique
    Magni ſub tumulo jacent.
Et nos ſorte pari CRISPE citabimur,
Et dulces thalamos, & patriæ focos,
  Centenosque ſodales
    Unus ſurripiet dies.
Stabit mœſta domus; nec vidui lares
Solamen capient; quæque laboribus
  Magnis parta ſtetêre,
    Non magno impete corruent.
O vitæ nimium ver breve; labile

O mor-

O mortale decus! Ludimus: interim
Mors vicina ſepulchrum
Inſpectantibus effodit.
Sic navis faciles captat Eteſias;
Sed dum tuta volat, turbidus ingruit
Sævâ Circius irâ;
Et quò luſit in æquore,
Illo fracta ratis mergitur, & ſuo
Infamat ſcopulos funere. Ludimus,
Ludentesque perimus
Fato non revocabili.
Sed quis labilium funera menſium,
Quis lapſi precium temporis æſtimat?
Illud CRISPE memento:
Qua primùm genitus die es,
Cæptum eſt mortis iter. Quælibet horula
Ætatem minuit; quique prioribus
Annis additur annus,
Fato fit propior tuo.
Sic quæ protrahimus tempora, perdimus;
Parcarumque leves atterimus colos:
Et quæ longa putamus
Vitæ ſtamina, frangimus.

AD LEONICUM NÆRINUM.

ODE LIII.

Non eſt beatus, qui dives.

EXtremis Peruës eruta montibus,
Aut quæſita Tago, aut Gange beatitas
Nil prodeſt. Animum deme fluentium
Votis; adde perennium.

Auges

Auges divitias? oprimis anxium
Tormentis animum. Non ſine plurimo
Sudore invenies; parta pavoribus
Mentem conficient bona.
Torquent, ſive habeas, ſeu careas, opes.
Poſſeſſæ trepidis corda timoribus
Vrunt, ne careas, non habitæ ſui
Te deſideriis necant.
Quin ſi poſſideas, non fugis hoſpitam
Tecti pauperiem; dum minus invenis
Semper, quàm cupias, & perimentibus
Votis pectus inæſtuat.
Non tu ſi numeres paſcua Dauniæ,
Diceris locuples, dum ſimul anxius
Ardor plura ſitit. Nullius indigus,
Hic eſt ditior omnibus.
Si multum cupias (multa habeas licet)
Semper pauper eris. Nil habeas licet,
Si nullo indigeas, dives eris tamen
Tecti nobilis incola.

ODE LIV.

Incompoſitorum animi affectuum tyrannis.

O Quàm grande malum eſt, diſſociabilis
Tempeſtas animi! Mitiùs æſtuat
Rixis Oceanus, cum Zephyro Notus,
Et Cauro Africus incubat.
Fervent ſpumigeri murmura Nerei
Dedignata ſuum littus, & obvias
Per terras liquidum diſſidium trahunt,
Incertiſque meatibus

Unda

Unda offenſa ruit: mitiùs æthera
Convulſum lacerant murmura fulminum,
Cùm colliſa fremunt dilaniantibus
Bellis agmina nubium.
Pars una Oceani fervet; at altera
Pars tranquilla jacet: fulmina nubibus
Errant; pars melior ſiderum amabili
Semper Sole meridiat.
At quem continuis acta tumultibus
Inteſtina movent prælia pectoris,
Nullâ parte ſuus, fronte ſub integra
Mentis vulnera comprimit.
Mentitur faciem Solibus æmulam,
Intus ſe ſtudiis dilacerantibus
Conſumit: Charites in cilium vocat,
Intus felle nigro tumet;
Et cœdes meditans ſe prius enecat,
Dum, quæ mente coquit vulnera, dexterâ
Attentare timet, nec ſinitur furor
Frontem inſumere, vel manum.
O pœnæ Tytii! ô plaga Promethei,
Pectus perpetuis diſſidiis hians,
Mens infeſta ſibi, & fluctibus æſtuans
In mente Oceanus mali!
Quæ me paciferi littoris hoſpitem
Tranquillo requies excipiat ſinu,
Ignarumque animum ſollicitudinum
Sacro indulgeat otio!
Hic eſt alta quies, hîc ubi Regiam
In me ſtringo manum, & civica propriæ
Mentis bella premo, ſubditus ipſemet
Et Rex impero, & obſequor.

ODE

ODE LV.

Paupertas libera.

TAndem vertitur alea :
  Et ſortis miſeræ conditionibus
Eluctor ! jacui ſatis,
  Casûs ipſe mei neſcius aureis
Vinctus compedibus : ſatis
  Fortunæ gemui ſub pede, liberæ
Auræ fruſtra avidus. Mihi
  Sed nunc reſtituor : pondus inutile
Pono ſollicitudinum,
  Fortunæ domitor. Scilicet hactenus
Me curæ inſatiabili
  Voto trans Abylam, trans freta Gadibus
Inſultantia Nerei,
  Extremis Japonum me regionibus
Aut Gangis ſtiterint ſinu
  Immenſi cupidum: nil tamen uſpiam,
Præter ſollicitudines,
  Et curas vigiles, aut leve ſomnium,
Votum explevit inutile.
  Quod dextrâ tenui, lubrica fallere
Fortunæ rota ſuſtulit.
  Multum zelotypis ſtringere brachiis
Credebam ; vacuæ fuit
  Sed nubis ſpecies. Utilioribus
Jam mens æſtuat ignibus,
  Fræno præcipites pectoris impetus,
Faſtum mentis & anxiæ
  Livorem trepidum flectere, & aviam

Cœli

Cœli à calle cupidinem
  In rectum patriæ ducere tramitem.
Quamdiû pallidus inſtitor
  Calcavi Oceani tergora navibus,
Nunquam me placido quies
  Excepit gremio: quamdiu in ultimos
Spes ibat Peruæ ſinus,
  Nunquam tuta domi res ſtetit. Et metus
Et curæ latus ambiunt,
  Quod gemmæ, precio Gangis, inambulant.
Pallor pauperis inſcius
  Mapalis, foribus Nobilium aſſidet.
Tranquillus ſopor atria
  Regum non penetrat. Vivere divitem
Eſt noctis breve ſomnium.
  Ibunt, & dominum deſtituent ſuum;
Infidæ comites, opes
  Anguſtum ad tumulum: Surripe te ſolo
Mens cœlo ſata. Quò minor
  De mundi ſpolijs ſarcina preſſerit,
Hoc ſeſe levius ferent
  In cœlos animi. Hæc una breviſſima
Eſt ad divitias via,
  Inter divitias vivere pauperem, aut
Exemplo veteris Sophi,
  Ne mergant, pelagi mergere fluctibus.

AD NOBILEM ADOLESCENTIAM.

ODE LVI.

Sanguinis claritas virtutem ornat.

FAllor? an virtus nihil arrogato
Indiget Solis radio ad nitorem,
Ipſa cognatâ ſibi luce Phœbe,
Cynthius ipſa?
Si tamen magno generi, & paterni
Sanguinis luci ſocietur, illa
Clarius ſplendet, geminâqne ſeſe
Luce coronat.
Sic ſuo Jaſpis precio ſuperbit,
Sic ſuo Phœbe radiat nitore,
Sic rubes terni ſatiata ſucci
Purpura ab imbre.
Si tamen Jaſpis ſocius Pyropo,
Vel coronatus radiantis auri
Ardeat flammâ, gemino micabit
Clarior igne.
Pulchrior Phœbe eſt, quoties coronà
Siderum ambitur, faculæque circûm
Mille ſtellari famulantur igne ad
Juſſa paratæ.
Pulchrius circùm latus errat oſtrum,
Quando Majorum fluit in rubentem
Purpuram ſanguis, meritisque Avorum
Filius undat.
Plurimum refert, genitusné patre

Titiro,

Titiro, an ducas abavos ab ipſo
Hercule, & magnum tibi ſtemma primo
Fulſerit ortu.
Nempe virtutem generoſa origo
Prolis accendit, titulique Avorum
Influunt menti, tacitoque pectus
Impete adurgent.
Sæpè quem virtus jubet emicare,
Vilior ſanguis retinet ſub umbris
Patrii tecti, prohibetque vili-
-Emergere ab algâ.
At quibus ceræ generoſiores
Facta Majorum, tituloſque Patrum
Ingerunt menti, decus inſequuntur
Semper Avorum.
Sic Patrum laudes animant nepotes,
Dum ſui ſemper memores fluenti
Sedulo antiquum decus æmulantur
Impete Patrum.

AD DELLIUM.

ODE. LVII.

Extremi Judicii horrore à voluptatibus abſterret.

ABſiſte lætis, Fulmina, fulmina
Tonant in aures. Non ego fabulas
Renarro, mendaciſque fruſtra
Ingenii ſimulachra fingo.
Vivone? an umbris (heu! miſerabilis
Ipſe umbra) mixtus, præcipitantium
Rerum ruinas, & ſuprema
Fata gemo pereuntis orbis?

Sic

Sic eſt : citamur Judicis ad forum
Agmen reorum ; ſeu quibus igneus
Averni hiatus criminoſæ
Supplicium ſtatuit juventæ:
Seu molliori quos alit ebria
Sinu voluptas ; immiſerabili
Sententiâ vitæ anteactæ
Promeritam ſubituri arenam,
Vel quam micantûm patria ſiderum,
Vel quam reorum flumina Manium
Pandent : ad examen bilancis
Innocuus veniet, nocensque
Cœlum pavendo torva volumine
Nubes gravabit : ſidere fulmina
Eliſa criſpabunt acutas
In jugulos hominum ſagittas.
Quin ſulphuratis depluet ignibus
Laxatus æther, & ſola diruet
Incendiis, altoque buſto
Flamma vorax tumulabit orbem.
Judex ſeveri nube ſupercilî
Frontem aſperatus fulgure vindicem
Vultum efferabit, flammeumque
Ore vomet retonante ferrum:
Diviſa ſtabunt agmina ſontium
Et innocentum ; quosque reatibus
Abſolvit inculpata virtus,
Ipſi etiam minitantis ignes
Vultus pavebunt. Nil vigilantium
Vim perſpicacem fallere luminum,
Juſtamque devitare acerbi
Judicii poterit bilancem.

Quæ-

Quæcunque noctes crimina pectoris
Texêre velo, ſub mediam diem
Protracta Solis erubeſcent,
Et lachrymis pudibunda vultum
Non profuturis dejicient. Reæ
Quæ ſcena frontis? quis trepidantium
Tremor medullarum? quis horror?
Quisvé ſinus cruciabit anguis?
Quantâ jacebit ſtrage ſuperbiæ
Extinctus ardor? quæ diadematum
Clades gemiſcet? quæ Phalanti,
Quævé Midæ violenta gazas
Rapina tollet? quantus Apicii
Turbo culullos, aut Alyatticæ
Tributa cœnæ devorabit?
Quàm gravibus Veneris favillæ
Flammis peribunt? nil Sapientia,
Nil fraus, dolivé, aut robora dexteræ,
Nil vis metallorum, nec auri
Vile reos precium juvabit.
Fruſtra rigentes Marte ſub æreo
Spectas cohortes. Viceris hactenus:
Vincêre tandem, incendiisque
Corda Stygis dabis uſtulanda.
Fruſtra clientûm reſpicis agmina,
Fruſtra potentûm Numina Ptincipum;
Hoc ad tribunal impotentûm
Sceptra jacent, metuuntque Regum.
Fruſtra propinquos auxilio vocas,
Fruſtra nepotes. Nil poterunt avi,
Nihil parentes. Obrigeſcet,
Quidquid erat tibi ſpes ſalutis;

Virtute tutus ni ſteteris tuâ.
Hæc fulminantûm jurgia ſiderum,
Hæc ſulphurati tela cœli
Intrepidis oculis videbit.
Hæc innocentem proteget, ultimam
Sententiam cùm proferet igneo
Furore Judex, hæc ab ira
Te redimet ferientis æthræ.
Quin ergo, DELLI, quod capiti imminet,
Ferrum tueris? quin lachrymabili
Rerum ruinâ expergefactus
In melius tua vota flectis?
Abſiſte, DELLI, pectore inanium
Nuda aucupari nomina phaſmatum;
Legumque virtutumque clade
Interitum malè nundinari.
Abominandi tela Cupidinis
Sontesque flammas Cypridos excute
Scuto timoris; ne repentè
In jugulum furiatus enſis
Diſtringat iras. Degeneri viâ
Mentem voluptas incitat. huc rapis
Inſane greſſum, ubi nocentûm
Flamma vorax populata Manes
Non expiandis ignibus alligat,
Totisque Averni fluctibus obruit.
Inverte mentem: jam ſequacem
Vita trahit malè ducta pœnam.

A D

AD D. CHRYSOSTOMUM IRMLER.

ODE LVIII.

Cùm Medicinæ Doctor crearetur.

QUis turbo flammæ ſidere depluus
Invaſit aras? numquid amabili
Dolo Prometheæ favillæ
Furta novo reparantur auſu?
An fortè recto tramite devius
Rurſum paternos præcipitantibus
Canthiſque, quadrigiſque mundi
Natus equos agit in ruinam?
Quantam ſuperbus nimbus ad æthera
Refundit iram? volvitur igneo
Coruſcus inceſſu, & marita
Aſtra ſuper radiatur ardor.
Quantâ profundæ progenies Stygis
Fumus plicatus nube ſerenius
Titanis aurum, labilemque
Axe diem dedit ire cœlo?
Erramus. ardet victima Tænaro
Devota pridem, mors inamabili
Caſura fato, cui Sacerdos
Vita, ſuper fera colla cultrum
Adegit ultrò. Labitur ultimo
Orci propago vulnere, nubibus
Se turba protrudit, vagâque
Hippotadæ regione ſparſus
Inceſtat auras ſanguis, inertiâ

Lentâ volutus tabifico ſolum .
  Lambit veneno, ſpumeoque
    Terra fugit maculata tabo.
Sed jam ſerenam purum Hyperionis
Rursùs per æthram lumen inambulat,
  Jubetque furvas interemptæ
    Relliquias necis exulare.
Ceſsêre nubes. Cerno ſeceſpitas
Rotare vitam, queis inamabile
  Monſtrum peremit, inque ſævæ
    Opprobrium Libitinæ amatum
Lauroque vinctum Diva CHRYSOSTOMUM
Hac arte replet. Funera, dixerat,
  Morbosque, graſſantemque diſce
    Pœoniâ clypeatus arte
Preſſiſſe mortem. deripe manibus
Manes, ſeveram ſæpè Proſerpinam
  Clothonque delude, & Charontis
    Rara nigram terat umbra puppim.
Audimur! Ergo Mercuri in otia
Demitte virgam, quando CHRYSOSTOMUS
  Turbam in ſepulchrum, & ad nigrantes
    Ire Deos, prohibet minorem.

AD ANTIOCHENOS.

ODE LIX.

Ut Eudoxiæ Imperatrici deſtinatam ſtatuam non erigant.

STROPHE.

FRuſtra ſollicitudinem
  Virtutis ſtudio pendis. Inutile eſt

Quid-

Quidquid Phidiaco manus
  Sudore Oebalii marmoris erigit.
Extra ſe precium petit,
  Quem mendica domi pauperies premit,
Virtus neſcia plauſuum,
  Clangentisvé tubæ, nec popularibus
Aſſueta obſequiis coli,
  Illuſtrem proprii ſe ſatis ubere
Venâ luminis exhibet.
  Qualis purpureo Cynthius eſſedo
Vivum, quà graditur, diem
  Incendit radiis, nec magis exteris
Vivit cultus ab ignibus;
  Quamvis tota polum Mercurialibus
Urat Græcia luſibus:
  Talis, quàm graditur, luminis orbitam
Virtus ducit amabilem;
  Nec gaudet nitidam luce domeſticâ
Frontem pingere murice
  Mendacis ſtibii. Eudoxia ſi ſuâ
Virtute inclita ſe ſatis
  Æternat, memores arte Corinthiâ
Quid fruſtra ſtatuas levas?
  Formæ eſt opprobrium grande, coloribus
Poſſe adſcititiis coli,
  Externoque decus ſchemate creſcere.

AD EOSDEM
ANTIOCHENOS,
ODE LX.

ANTISTROPHE.

Ut Eudoxiæ ſtatuam decimæ Muſæ erigant.

ETſi pulchra, coloribus
Virtutis ſpecies creſcere neſciat,
Et neglecta ſereniùs
Se vibret nitidæ frontis amœnitas
In miracula: ſed tuum
Non damno ſtudium. Surrige marmora
Admiranda nepotibus,
Vel decocta focis æra Corinthijs,
Et laudum memores baſes;
Quas non vis avidi temporis exedat,
Non oblivio deterat.
Laudem incide baſi: *Eudoxia Palladi*
Non impar Sapientiâ,
Muſarum decimo digna loco Dea,
Fœcunda ingenio, ſimul
Facunda eloquio, moribus innocens;
Condemnata domi rea,
Sed nobis ſceleris, pura; in imagine
Evincat Pylii ſenis
Ætatem rigidam. Si nihil aggeris
Sic virtutis honoribus;
At partem precii ponis, amabili
Virtutis merito, & tuo
Es facto melior: cùm, licet impari
Conatu, egregiis cupis
Factorum meritis ſolvere gratias.

AD ANTONIUM BERINDUM.

ODE LXI.

Eum à voluptate dehortatur.

BERINDE, quò te vis animi impotens,
Cæcusque flammæ fervor agit? Peris
BERINDE, & in præceps ruinam
Ipſe tuam maleſanus urges.
Jurata fœdo vota Cupidini,
Pulſusque candor pectoris, ultimum
Diſcrimen accerſit pudoris,
Atque animum trahit in ſepulchrum.
Nam quæ volutis æquora fluctibus,
Aut nota crebris naufragiis juga,
Quis Syrtis æſtus, quæ Charybdis
Sic trepidis minitata nautis
Diſcrimen urſit? quod Mareoticis
Monſtrum cavernis, quæ fera Caſpiis
Educta ab antris, ſic feroces
In rabiem ſtimulavit ungues,
Ut ſe voluptas improba mentium
Armat ruinis? quam neque Tartari
Flammatus ardor, nec tremendo
Igne minax remoratur æther.
Mundum voluptas exitio ultimo
Vaſtavit olim, cùm juga montium
Neptunus exceſſit, nec ullas
Oceano poſuêre metas
Superbiorum culmina montium
Objecta. Quinis urbibus ultimæ

Stetere cauſæ, cur perirent,
Et pluvio raperentur igne,
Æſtus Diones. Pergama Martiis
Incenſa quondam ſeditionibus
Movit Cythere, & luctuoſos
In cineres inimica vertit.
O ſæva amantûm tæda, Acheronticæ
Pars magna flammæ! Quot facibus tuis
Eductæ ab Orco ſunt Megæræ!
Quot furiis vitiatus orbis!
Quot dirutæ urbes! quot ſubito oppida
Sepulta caſu! quotque tragœdiis
Reges perempti! quos pudendo
Interitu periêre Atlantes!
Berinde, ſi te vel prior indoles,
Vel ſtemma Patris; vel vigor ingenî,
Vel cura cœli, vel Tonantis
Tangit amor beneſuadus; audi
Sanctè monentem. Tela Cupidinis
Diffringe tandem, vincere pertinax
Hoſtem juventutis; calensque
Imperio moderare pectus.
Nondum priorum te pudet ignium?
Floriſque tam pulchri, heu! nimis improbâ
Flammâ enecati? non parentum
Dedecoris, propriæque labis?
Compeſce mentem ſiſtere neſciam.
Si provocanti fræna licentiæ
Laxâris; incenſus juventam
Abripiet per iniqua fervor.

NICO-

NICOLAI AVANCINI
E SOCIETATE IESV
LYRICORVM
LIBER TERTIVS.
AD SERENISSIMUM ARCHIDUCEM LEOPOLDUM GVILIELMVM.
ODE I.

Cùm Gubernatoris Belgii provinciam nomine Hiſpaniarum Regis ſuſcepturus Viennâ diſcederet.

I Fortis Heros, quò tibi pulverem
Avita virtus ſternit, & aureos
Nexus coronarum catenat
Belga tuis reparandus armis.
Avara virtus nominis aream
Patentiorem poſcit, & arduam
Honoris eluctata ad arcem
Magnanimæ monumenta famæ
Audax repoſcit. Scilicet æmulum
Herous ardor poſtulat, otii
Juratus hoſtis, languidâque
Diffluere impatiens quiete.

Laſſaſſe belli fulmine Vandalos,
Fregiſſe Marti cornua Suecico,
Et glorioſam ſæpè laurum
De medio rapuiſſe campo,
Purgaſſe ripam Danubii, Lycum
Strinxiſſe habenis; arma paventibus
Suaſiſſe Germanis, & irâ
Cæſareum rigidaſſe pectus,
Cùm Suecus ipſis poſtibus Auſtriæ
Mars immineret, totaque civibus
Vienna laſſatis timeret
Excidium trepidantis Urbis,
Parum eſt calori, qui tibi Martio
Ab igne fervet. Diſplicet ultimam
Scripſiſſe metam gloriarum:
Illa placet tibi parta laurus,
Sitim ſecundæ quæ parit. Omine
Hoc, magne PRINCEPS, vincis, ut alteri
Victoriæ incumbas, & una
Palma alium tibi gignat hoſtem,
Novi triumphi materiam. Hinc tibi
Viſurgis altis fluctibus annuit,
Et Sequanæ ripæ, & Moſella,
Atque Araris Ligerisque vaſto
Scaldi propinqui, in grandia provocant
Trophæa laudum. Perge Alemannicis
Invictus armis, Belgicæque
Una ſalus LEOPOLDE gentis.
Non una palma hic, non tibi fronduit
Hic una laurus; quotquot amœniùs
Rami vireſcunt, in coronas
Ire parant, madidamque poſcunt

Umbrare

Umbrare frontem. Te Gravelinga, te
Mardika poſcit, quamque meabilis
Scaldis veretur, & quietâ
Alloquitur taciturnus undâ,
Donkercha te ambit; quæque gemunt lupos
Mordere Gallos mœnia, vindice
Te, fræno inaſſueto reſolvi
Mœſta vovent, facilique reddi
Auræ laborant. Perge; faventibus
Jam terra palmis frondet, & undique
Lauri vireſcunt, campus omnis
Promeritâ tibi ridet herbâ.

AD FERDINANDUM II. ROM. IMPERATOREM.

ODE II.

Eum ad ſpem victoriæ erigit promiſſo Crucifixi, qui ei aliquando locutus dicitur.

FERNANDE vinces. Quamlibet undique
Fremat minaci turbine Marſpiter,
Tutusque Bellonæ flagello
Motus agat truculenta gentes
In bella mundus: quamlibet ultima
Martem Propontis, vel gravibus rigens
Armis Orion ſuſcitatum
In furias moveat Gradivum,
FERNANDE vinces. Non ego inanibus
Te paſco: vinces. Sic tibi Numinis
Allapſa ad aures vox ſpopondit.
Crede DEO pie FERDINANDE

Magnum elocuto: Non Othomannici
Procella ferri, Bactraque fortibus
Marita Suſis; non protervi
Gentis Achæmeniæ fragores;
Non arma Thracum, non refugus Getes,
Nec diſſidentis prælia Boſphori,
Non Moſchus, audacesque Beſſi,
Non Scythici gravis ira ferri
Injurioſo te pede proruent,
FERNANDE: noſtri robore Numinis
Franges Giganæos tumultus,
Et jaculis Meroën comatam.
Criſtata telis Bactra minacibus,
Lunam protervis cornibus aſperam,
Hoſtemque Turrim, Balthicique
Caſtra maris tabulata mille
Inſanientûm claſſibus hoſtium
Victor domabis. Sentiet hanc manum
Potentiorem Gorgonæo
Vertice Palladiæ Meduſæ;
Quiſquis cruentæ lege ferociæ
In innocentis ludere Cæſaris
Caput minatur, quiſquis irâ
Barbaricos meditatur auſus.
Confide Cæſar. Qui mihi militat,
Benè auſpicato militat omine.
In te furorem quiſquis urget,
Fata ſibi maleſanus urget.
Hæc Numen altâ de trabe pendulum
FERNANDE ſpondet. Tu quoque Numinis
Accede voci FERDINANDE, &
Unde cadunt animi, reſurgant.

Exper-

Expergefactis ad lituos viris
Mentem ſecundo robore ſuſcita,
Gravemque Mavortis procellam
Trans geminum rue victor orbem.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum

D. JOANNEM FRANCISCUM TRAVTHSON, COMITEM IN FALCKENSTAIN, &c.

ODE III.

In morte Illuſtriſſimæ D. Conjugis Chriſtinæ Eliſabethæ, conſolatio.

QUid vixiſſe diu juvat,
Si tandem rigidis victima legibus
Fati cædimur? Omnibus
Hæc ſcripta eſt Protaſis, vivere: at omnibus
Hæc poſtrema cataſtrophe eſt,
Scenam præteriti claudere temporis,
Cùm lex ferrea juſſerit,
Fatorumque memor terminus. Exiit
CHRISTINA exilio. Leves
Cur annos querimur, ſideraque invida,
Menſeſque inſtabiles, dies
Vitæ præcipites, fata volatica?
Cur FRANCISCE doloribus
Immergis viduum pectus? Habet ſuum
Mors cenſum. Brevioribus
Loris mœſtitiam pectoris attrahe.
Morti victima naſcimur:

Et quæ prima dedit vivere, funeri
Subdi lux eadem jubet.
Nulli impunè dies primus obortus eſt,
Qui non traxerit ultimum.
Cùm naſci incipimus, tunc quoque funeris
Damnati incipimus mori.
Huîc ſerò, huîc citiùs ducitur ultima
Vitæ linea; nec diu
Vixiſſe eſt aliud, quàm ſua funera
Protraxiſſe diutiùs.
Hæc FRANCISCE tuo, quæ potes, ultima
Mœrori adde levamina:
Cœlorum imperiis hoc ſtadium ſubît,
Cœlorum imperio exjit (hanc
CHRISTINA hoc ſtadio. Currere ſemitam
Tamdiû cuîque licet, DEO
Quamdiû collibitum eſt. Si morimur citò,
Mandato morimur DEI:
Si vitæ ſeriem protrahimus diù,
Mandato trahimus DEI.
Illi fata favent, ille ſenex obit;
Qui vitam benè terminat,
Et virtute præit temporis impetum.
Quin, ſi non ſua gaudia
CHRISTINÆ invideas, lætitiâ potes
Luctûs tergere lachrymas.
Terrarum exilio libera patriis
Cœli ſedibus additur;
Et jam ſe liquidis paſcit amoribus,
Stellarumque domos ſuper
Divinâ ambroſiam potat amyſtide.
Sic mores nivei mihi,

Sic

Sic ſpondent animi candor, & arduæ
Mentis relligio, & DEI
Conſtans intuitus, ſtemmatis inſolens
Depreſſa ambitio, & ſui
Neglectus ſapiens, & moderatio, &
Magni gloria nominis
Caſtigata, ſacris pectus ab ignibus
Ardens, cura ſeverior
Frænandi indomitos pectoris impetus.
Hæc illam eripiunt ſolo,
Et puri illecebris ætheris inferunt.
Non eſt, quod malè credimus
Non eſt mortua: ſed quam pereuntium
Annorum ſeries premit
Vitam, perpetui fœnore ſpiritûs
Mutavit. Benè vivitur
Quando eſt perpetuum vivere; nec metus
Mortis lancinat ampliùs.
Hanc, FRANCISCE, tuis pone doloribus
Legem: debuit extimas
CHRISTINA exuvias ponere corporis,
Ut mens libera pondere
Intraret ſuperæ limina patriæ.

AD NOBILES ADOLESCENTES.

ODE IV.

Proponit illis in exemplum ſtudiorum Illuſtriſſimum D. FERDINANDUM COMITEM DE NACHOT, *&c.*

SUnt, quos comarum gloria, Laureus
Juvat Tiaras, pulchraque nominis

Mer-

Merces perennis, aureoque
Pulcher honor radiatus igne:
Quique æſtuoſo pectoris impetu
Faſces Quirinos, & Capitolium,
Nomenque, & umbrantes coronas
Icario meditantur auſu.
Sed vera paucis ſemita panditur
Captandi honoris. Prodige ſanguinis
Erras Gradive, ſi perennes
Per gladios acieſque Honoris
Venaris umbras; quique opulentiâ
Arcas flagellas Pigmalioniâ
Venator æviternitatis,
Et modico inſidiaris auro
Perennitati. Scilicet aureis
Infame nomen cenſibus inſidet.
Quo gloriam quærebat auro,
Opprobrium tulit inde feris
Lucullus annis, quos Polycletius
Sudor Phraatæ Pyramidum ſitus
Cœlo maritavit, pudendos
In cineres inimicus egit.
Collapſus illo turbine prælii
Hoſtile ferrum pectore combibit,
Qûo nundinabatur decoras
Miles opes, ſoliumque Honoris.
Si quem juvabit nominis Eſſedo
Quæſiſſe honorem, diſcite poſteri:
Exempla ſcribet FERDINANDUS,
Quæ decimi ſtupeant nepotes.
Quamvis Avorum gloria ſemitam
Longam notârit ſtemmatis inclyti;

Et

Et publicum vetuſta honoris
Nobilitas vocet in theatrum.,
Locetque in ipſo Sole, periculis
Fortunæ ademptum luminis arbitra
Natura, natalesque pulchro
Fama gradu titulos ſequatur:
Quamvis in arcas confluat India
Fœcunda gemmis, aurifer & Tagus
Agat procellas in lacunar,
Et Pariis aſarota ſaxis
Illuſa certent Mygdonias opes,
Et viva Cretæ vincere marmora,
Tyrumque, ſemotamque Lesbon,
Et Tenedon ſuperare cenſu:
Parcus doloſis fraudibus applicat
Cor Ferdinandus: nec nimium levem
Fortunam adorat. Quod benigna
Sors potuit dare, quod ſevera
Negare ſors, hoc eſſe ſuum negat.
Nec ſat videtur conſpicuus ſibi,
Niſi ad paternam hæreditatem
Adjiciat proprias ſuorum
Meſſes bonorum. Hinc, quod Sapientia
Parens honorum, provida nominis
Aurora, regnorum magiſtra
Scribit iter, generoſus urget.
Hâc ite, quotquot ſedula nominis
Urit cupido, & grandibus excitant
Tubis honores: hâc ſuperbam
Imperii rapietis arcem.

ODE V.

Deſpectis caducis cœlum quærendum.

VEl nos umbra boni fallit amabili
Deceptos ſpecie; vel ſibi juſſimus
Divos aſtra ſuos claudere, labilem
Vitam ducere commodis
Contenti propriis. Nam quid in ultima
Votis provehimur marmora Nerei,
Tarteſſumque gravi ſindimus abiête
Non unquam ſaturi bono,
Quod natura dedit? quid Mareoticis
Audaces ſtruimus porticibus domos,
Et culta Oebaliâ tecta ſuperbiâ,
Fortunasque Agamemnonis
Fruſtra Tantaleâ proſequimur ſiti?
In veſtra, ô Superi mens calet atria,
Formoſosque ſinus ætheris invehi.
O dulces patriæ ſinus!
Huc me, ſeu facili tramite, ſeu magis
Vultis difficili, tollite Cœlites:
Unde ignobilium ſub pedibus Ducum
Ridetis diademata;
Et clauſos modico limite terminos
Spectatis toties dilacerantibus
Convelli furiis, vaſtaque prælia
Puncto pro modico ſeri.
O vanas hominum ſollicitudines,
Curasque occiduas! grande quid, Africam,
Europenque ſuis flectere nutibus,
Et gentes regere ultimas,
Cenſemus fatui: grande quid, aureo

Tor-

Torpere in thalamo, vel Sybaritico
Inter delicias diffluere otio,
Fortunamque Corinthiam
Amplexu facili ſtringere. At interim
Dum nos cingit opum copia, ſtringimur
Obſeſſore metu, ſeque precariis,
Miſcet cura ſoporibus,
Infelix animi tortor; & additur
Hoc nummis precium, perpetuâ necans
Tempeſtate pavor, ſollicitudines,
Et tortura Cupidinis.
Addis divitiis? addis & improbæ
Mentis carnifici, ſollicitudini,
Et pacis violas divitis otia.
Auctæ deme pecuniæ,
Demes inſidiis. Qui nihil abdidit,
Nil, quod perdat, habet. Qui nihil appetit,
Se deſideriis non lacerat ſuis,
Contentus modico. Cave!
Si plus, quàm ſatis eſt, appetis; interit
Quæ te cymba vehit. Cuique ſuum, bona
Quod fortuna dedit, ſit ſatis: unica
Vitæ eſt iſta beatitas,
Contentum modico vivere. Fallimur,
Si curis animum mergimus. Evolat
In cœlum facilis, quem levior ſolo
Rerum ſarcina deprimit.
Cœlo progenies edita, nil minus
Quàm cœlum petimus. Vertite pectoris
Seducti ſtudium; quoque fluentium
Rerum inſiſtitis orbitæ,
Hoc fervore poli currite ſemitam.

Felix ille nimis, qui breve temporis
Donum, quod ſuper eſt, lumine provido
Cœli deſtinat ignibus.

AD LENTULUM.

ODE VI.

De Fortunæ inconſtantia.

EHeu! quàm volucri raptus ab Africo
Fortunæ vehitur nobilior dies,
Pejorque inſequitur! Vix orimur, mori
Jam ſcimus. Nihil eſt LENTULE, LENTULE
Æternum nihil eſt. Ut fluvii vitrum
Ripas alloquitur, ſed ſimul inſequens
Fluctum fluctus agit; ſic abeunt dies,
Horamque hora fugat: præteritam excipit
Sed mox deterior. Vidi ego turribus
Et ſeptemgeminis mœnibus inclitas
Urbes, dum populus plauſibus inſonat,
Et fervet choreis, in miſerabilem
Abſumptas cinerem; buſtaque regio
Inſultare thoro, & magna breviſſimo
Deponi ſpacio temporis atria
Congeſtum in tumulum. Vidi Halyatticæ
Fortunæ dominos ſemper Eteſiis
Aſſuetos, Boreæ flatibus abripi,
Involvique Notis; quasque Favonius
Lentè advexit opes, præcipitantium
Caurorum imperio, non ſine vulnere
Transferri Domini. Vidi ego Olympici
Curſorem ſtadii pulvere nobilem,
Quem cœli Dominos extulit ad DEOS

Vi-

Victorem gravium turba Quiritium;
Vidi, curriculi dum levibus rotis
Metas ingreditur, fervere gaudiis
Permixtos gemitus, quod Pelopeiis
Everſus cythiſis funere terminum
Atrârit ſtadii. Vidi ego navitam
Poſt victa Oceani prælia, poſt probra
Dictata Ambraciis fluctibus, Africo
Impellente, mari ludibrium datum,
Dum inferret patrio carbaſa portui
Defunctus pelagi mille periculis.
Vidi Geryonas, vidi Agamemnonas,
Forteſque Æacidas Martis adoreâ
Vinctos ſæpè caput, ruſtico acinaci
Ceſſiſſe in ſpolium. Sic nihil eminet
Fortunæ arbitrium; nil, iterùm canam,
Eſt tam magnificum, quod ferat invidæ
Libramenta Deæ, ſtetque perennibus
Immotum baſibus, cùm tragicas coquit
Fortuna inſidias. Oppida corruunt,
Et cives tumulant; Regna, Ducum labor,
Momento intereunt; quique minoribus
Dixit jus populis, jus patitur: jugum
Portat, qui impoſuit: pauperiem gemit,
Quem ſors Attalicis conditionibus
Texit: quem timuit non imitabili
Majeſtate Ducem turba, timet ſibi
A turba, & trepidus proprii acinacem
Contrectat lateris. Sic nihil invium eſt
Fortunæ. Placidam ſi ſemel explicet
Frontem, pòſt decies nubila contrahit;
In fletum facilis, difficilis jocos

Et

Et riſus iterat. LENTULE, ludimur,
Et ſortis rapidâ volvimur orbitâ,
Ni virtus variam duret ad aleam.

AD LUDOVICUM MERIUM.

ODE VII.

Virtus præ divitiis & aurâ populari ſectanda.

ERythræi precioſæ maris undæ,
Opulentum Genoëſſæ veteramen,
Vagus aureâ Tagus urnâ, trabeati decus Her-
Peregrino domus auro laqueata, (mi,
Aquiloni geniales date pompas:
Meliores mihi flammæ liquefactum cor adu-
Nihil aurum eſt; popularis nihil aura eſt, (runt,
Nec honoris tuba cantrix. Mea mecum
Fero poſthac. Mihi virtus ſuper aurum eſt,
ſuper auram eſt.
Fluit aurum, popularis fugit aura,
Baſe virtus ſolidâ ſtat. Timet aurum
Inhiantis violari dominatu, trepidatque
Violento inſidiantûm rapi ab ungue.
Miſerande ô locupletum dominatus!
Ea torquent animum, quæ precio arcas locu-
pletant.
Cruciatus, color auri eſt: merum inane
Lepor auræ eſt popularis. Favet aura?
Boreales cave fluctus. metis aurum? legis
hoſtem.
Simul iſthæc ſoboleſcunt; nitor auri,
Timor hoſtis; glomeratæ tuba laudis,
Populique officioſi ſtudium in probra abiturũ.

So-

Solidorum magis uror face amorum.
Brevis i vita metalli, dica longa
Cruciatus, levis Iris pluviarum cataracta:
Obituræ i rota laudis. Favor auræ
Melioris vocat; ite hinc. Mihi cordis
Moderatrix Dea Virtus jubar una, una corona eſt.

AD JULIUM CLARUM.

ODE VIII.

Majorum nobilitas non maculanda factis.

QUi jactas atavis Regibus editum
Nomen CLARE tuum, nobilioribus
Patrum divitiis adde tuas: malè
Tantæ lumina gloriæ,
Natalemque diem extinguis inertiâ.
Si famam violas, quid tibi proderit
Accepiſſe decus ſtemmatis, & Patres
Ipſo ducere ab Inacho?
Malim, ſi liceat, de tenebris mihi
Accendiſſe diem; cum Mario à jugo
Ad Romæ imperium: cum Decio à caſa
Ad Regum ire palatia;
Quàm, quod mi dederit patricium genus,
Lumen, degeneri perdere crimine, &
Qui jure emineo ſanguinis, infimo
Me ſubſternere Tityro.
A ſervo imperium Servius attigit;
Nomen vile Cato nobilius dedit
Romæ; Tarquinius detenui foco
Ad ſceptra erudiit manum.

Sic

Sic non grande genus, non proavi graves
Illuſtrem faciunt. Si tamen Hectoris
Natus prodieris ſtemmate; cur probri
Confundis maculâ genus?
Therſiten agis, & grandem Agamemnonis
Oſtentas clypeum: diffluis otio,
Et palmas memoras, quas tulerunt Avi
Fuſis hoſtibus incliti.
Indignus generis nomine, lumini
Offundis tenebras, & maculâ tuæ
Vitæ dedecoras ſanguinis alveum, &
Magnæ ſtirpis imagines.
Si neſcis, Atavûm gloria poſteris
Eſt Solis radius, quo bona, quo mala
Elucent ſobolis. Nil latet: hoc magis
Spectatur tua inertia,
Quò Patrum fuerit nomen honeſtius,
Quod tu non paribus niſibus inquinas.
Dici nobilior vis populo? tuum
Virtute excole ſanguinem.
Vive, ut principium nobile nominis
Sis olim ſoboli, & ſtemma nepotibus
Transfundas. Decus hoc æſtimo, quod ſibi
Fundat quiſque modeſtiâ.

AD THEOPHILUM PIRUM.

ODE IX.

Injurias contemnere eſt nobilis victoria.

INdignas PIRE pectore
Abſorbe nebulas, frontis & hiſpidum
Exarma cilium, canis

Si

Si nomen laceret dentibus, & tuam
Famam dilaniet. Genus
Vincendi celebre eſt, ſpernere vulnera.
Indignas reputa tui
Tormento ſatyras, quas populus jacit.
Sic ignobilium canum
Temnit nobilior murmura, nec timet
Latratus faciles. Viri eſt
Latrans opprobrium ferre, nec obvio
Verbo exſolvere verbera.
Palles ad ſatyras? deſinis eſſe vir:
Hoc auſit mulier quoque.
Affixum lateri ſtringis acinacem
Ulturus probra? bellua es:
Hæc morſu laniat, calcitrat ungulâ,
Sævit dentibus, unguibus
Diſcerpit. Ratio temperet impetum.
Vulnus reddis acerbius
Latranti, opprobrium pectore ſi integro, &
Contemnente feras. Grave eſt,
Inquis, ludibrium ferre. at acerbius
Fiet, ſi regeras. Pati
Vel debes populi ſpicula, vel viri
Debes ponere ſymbolum.
A vili jacitur plebe? quid intereſt?
Contemptum leviùs feres,
Si credas populum multa profundere, at
Paucis lædere. Cynthium,
Magnum crede virum: celſior eminet.
Parthorum jaculis, neque
Ad denſata pavet ſpicula Sarmatæ
In nubem coëuntia.

Infra ſe poſiti diſſociabiles
Spectat fulminis orbitas
Vultu non pavido, nec variat genas
Fortunæ arbitrio. Ferit?
Suffert, & tacitus vulnera digerit
Quin ſi grande calumnia
Linguæ præcipiti vulnus acinace
Libret, pectus in integrum
Nullâ vi penetrat. Quod jaculum putas?
Vel fulmen trifidum polo
Eliſum; fragilem expertus arundinem
Dices, ſi ſteterit ſuo
Mens infracta loco. Sæpè calumnia
Lædit, non quia grandis eſt,
Sed grandem facimus, dum minor impetu
Nobis eſt animus levi.
Sic quod difficilem reddit, opinio eſt,
Non vis ipſa calumniæ.
Vis non difficilis vincere? pectoris
Scutum non ſuperabile
Obtende impavidus: temne, quod irruit,
Indignumque tuo puta
Senſu, vel lachrymis. Unica nobilis
Eſt victoria; vincere, ut
Nec, tentata licet, vulnera ſentias.

AD LUCAM BRANGISILIUM.

ODE X.

Ut in Immaculatam Conceptionem B. Virginis juret.

AUdi prodigium VIRGO puerpera,
Matri Virgineum conciliat decus.
VIRGO, nec ſterilis: MATER, & inſcia
Legum connubialium.
Hujus carne DEI Filius induét
Carnem; de tenero corpore Numini
Corpus ſufficiet Filia maximi,
Mater, Sponſaque Numinis.
Non credam (niſi ſic urgeat Infula
Major Pontificum) legibus Inferi
Hanc conſanguineam Numinis, hanc DEI
Sponſam ſubdere verticem.
O cœli opprobrium! ô dedecus & Patris
Et Nati! Barathri ſcilicet impudens
Rex inſultet? ei, cui DEUS inſidet,
Inſedi ſolio priùs:
Noſtra hæc aula fuit. Quod DEUS induit,
Noſtrum corpus erat: nos Stygiis priùs
Succis imbuimus, quàm riguæ polo-
-Undarent flumina gratiæ.
Sic te, BRANGISILI, priſtina ſi movet
In MATREM pietas, inviolabili
Sacramenta dabis fœdere; VIRGINEM
Ut jures genialibus
Exemptam furiis. Non ego inutilis

Te voti admoneo: Sic Academia,
Princeps Auſtriacæ gloria Palladis,
Sic & CÆSAR, & Auſtria
Sacramenta pios Nominis ad focos
Dixerunt humili poplite ſubjugi
Inſpectante foro. Quod facere eſt decus,
Non eſt dedecus inſequi.

ODE XI.

S. Ignatius de Lojola arma ponens.

HActenus Martis ſatis eſt. quietem
Ducta bellorum ſeries repoſcit.
Sæpè pars magni, poſuiſſe Martem,
Viſa triumphi eſt.
Viximus luci ſatis, ac anhelo
Gloriam paſſu ſumus inſecuti:
Nunc juvat lucem fugere, & ſub umbras
Abdere nomen.
Sunt ſuæ laudes tenebris. Latere
Profuit multis; micuiſſe, multis
Obfuit. Vitæ melioris, inter
Antra, theatrum eſt.
Hic fides, hic pax, & amica pacis
Fauſtitas, deno cumulata cornu,
Candidos Soles, niveæque ducit
Stamina vitæ,
Quid juvat Gades rigidis Sicambris,
Et triumphatum Ligerim Tagumque
Nectere, ac uno Rhodanum Tigrinque
Jungere ponte?
Si viâ cœli procul errat altæ
Mentis ignitus calor, & putenti

Fixus

Fixus in terra prohibetur aſtris
Quærere pacem?
Deſine, IGNATI, malè ducta nuper
Bella ſectari, rigidumque fronte
Pone Gradivum. Melior quiete
Laurea venit.
Hic ubi montis tumet in cacumen
Scena, Serratas media inter umbras
Præſes optatæ vocat ad quietis
Otia Virgo.
Ibo, & hoſtili ſaturum cruore
Parieti affigam gladium, ſacrumque
Fuſus ad limen mea dedicabo
Poſtibus arma.
Ibitis, dicam, maleſana Martis
Tela, pugnaces animare dextras;
Ibitis criſtæ galearum, & acris
Fulmina ferri.
Nemo tranquillos ſine nubè Soles
Martis armatos agit inter æſtus.
Qui cupit pacem, caput inquietis
Subtrahat armis,
Hæc tuus, Virgo, paries habebit
Arma; ſed miles tibi dedicatus
Serviet. Votis facilis vocari
Annue Virgo.

AD B. ALOYSIUM GONZAGAM,

ODE XII.

Societatem JESU. *ingredi ambientem.*

GONZAGA, nec te terra morabitur.
Ad aſtra ſurgit, neſcia deprimi,
Heroa virtus, ſubditamque
Temnit humum fugiente pennâ.
Fruſtra tenacem propoſiti Pater
Mentem laceſſit frangere pertinax;
Et fronte contractâ ſeveram
In furias vocat ira dextram.
Fruſtra potentis nomina ſanguinis,
Magnaſque priſcæ gentis imagines,
Et Mantuanorum recenſet
Grande decus ſeriemque Avorum.
Deliberatis fervidus ignibus
Domeſticarum ſpretor imaginum
Domo, Palatiniſque tectis
Pulchrum abitum generoſus urges.
Flectis parentem, quamlibet antea
Flecti negantem: jamque cadunt minæ
Diræque, flammæque, & furentis
Mille animo cumulata probra.
Ille obſtinati pectoris hoſpitum
Miratus ignem, fixaque ferreæ
Decreta mentis: Vade, dixit,
Nate, genus patrium beato
Inferre cœlo, teque jacentibus
Furare terris. Vita beatior

Per-

Pertæſa mundi, glorioſâ
Antra fugâ ſubjiſſe gaudet.
Vives paternis laudibus altior,
Ignotus orbi, at notior ætheri,
Cœlique plenus; patriâ exul,
At patriæ novus hoſpes æthræ.
Vives honorum neſcius; at potens
Tui Imperator. Vade tenacium
Victor catenarum, Tonantis
Quò traheris meliore flammâ
Tunc nempè læto riſu ALOYSIUS,
Valete, dixit, Pergama Mantuæ
Jurata famæ, ac æviternæ
Patrum oleæ, viridesque Lauri,
Valete magni nomina ſtemmatis,
Et fuſa ceris ora perennibus
Ducum priorum, quos honeſtat
Æolio grave vellus auro.
Me non profani buccina nominis
In caſtra poſcit Numinis. Exuo
Hic Mantuanæ ſigna famæ,
Hic patrias Aquilas reſigno.
Hic gemmearum pondera grandinum
Depono, vili lætior integi
Poſthac lacernâ, ac inſecutus
Auſpicio meliore cœlum,
IGNATIANIS nil cupientium
Succedo caſtris. Audior! avia
Jam terra diſcedit: clienti
Pande ſacras Aquaviva portas.

AD ANTONIUM BERLICIUM,

ODE XIII.

In utraque fortuna animus regendus.

FOrtuna ſummis invida faſcibus,
Semper rapaci turbine Cæſares
Iroſque verſat; nec dierum
Ire ſinit ſtabilem meatum.
Hunc à ſalino, vel tenui dape
Ad ditis aureûm ſigma potentiæ
Et eliquatos uniones,
Et ſpolium vocat ad Lucrinum:
Illum Neronis prandia Claudii
Ad cœnam adornant: poſt Cleopatricam
Vim ferculorum intemperatis
Sors epulis jubet abſtinere.
Hunc ruſticano à vomere faſcibus
Aptat Quirinis, quique potentium
Decreta ſubjectus ferebat,
Hunc Ducibus jubet imperare:
Illum Quirino præcipitem thoro
Ad raſtra damnat; quique ſecuribus
Terrebat undantes catervas,
Colla dare hunc jubet in ſecurim.
Hunc, qui colonus nuper arantibus
Paterna tauris impoſuit juga,
Onuſta cogit ſubditorum
Colla jugis cruciare Regum:
Illum, obſtinatam quem modo paupere
Ligone terram findere patrio

La-

Labore cogebat, recuſo
In galeas gladioſque ferro,
Per militantes protrahere impetum
Jubet cohortes, caſtraque rumpere
Eunte ſulco, & martiali
Auxilio patriæ labantis
Fulcire caſum. Si tibi, BERLICI,
Detraxit oſtrum, ſi procul Aulico
Honore movit, candidisque
Ordinibus vetuit virorum
Miſcere nomen; pectoris anxias
Dimitte curas: quæque ferat ſequens
Dies, memento: ridibunda
Poſt lachrymas tibi ſors redibit.
Si fortè rurſus, ludere pertinax
Ludum inſolentem, te melioribus
Reponat auris, gemmeosque
Incolumi fabricetur annos;
Ne crede lætis. Protinus exeret
Severiori fulgura turbine,
Vultumque, larvatum ſereno,
Fulmineâ caperabit irâ.
Utcunque felix, quod metuas, habes;
Miſerque ſperes. Plura miſer poteſt
Sperare; ſed felix timere
Plura poteſt: minus at timere
Miſer; minus ſperare beatior.
Utrumque torquet; ſeu metus anxium
Pectus voraci dente rodat;
Seu calidas furat in medullas
Spes inquieto ſemper anhelitu.
Spes & timores pectora lancinant

Vorantque curis. Vis quietem ?
Deme ſpei, metuique deme.

AD B. V. M. MARIAM.

ODE XIV.

Affectus.

MIſerum me! glaciatus lapideſco:
Melioris nec amoris jaculante-
-Æthere lapſum bibo telum; neque flammis liqueſio.
Dea ponti, Cynoſura es; nec amaris:
Dea morbi, medicina es; nec amaris.
Dea cæli, precioſum diadema es; nec amaris.
Pudet heu me! per iniquas maris undas
Vagus erro, nec adoro Cynoſuram?
Pereo; nec moribundo mihi menti medicina eſt?
Patet aſtris precioſum diadema.
Nec anhelo? Satis eſt jam remorantûm
Laqueorum: Satis eſt jam vitioſæ improbitatis.
Levo mentem, calidoſque cito amores.
Cynoſura es; mihi nictum rapis omnem:
Medicina es; mihi votum, mihi cordis rapis æſtum:
Diadema es; mihi frontem religabis.
Roſa candens, focus ardens, amor orbis,
Cor amoris, via cæli, Paradiſus Deitatis:
Roſa cande, focus arde, ô amor ure,
Cor adhala, via flore, Paradiſe
Liquidorum mel amorum mihi tandem reſerare.

AD

AD TANDILUM GIRESINUM, J. U. DOCTOREM.

Detrectantem jurare in Immaculatam Conceptionem B. MARIÆ V.

ODE XV.

Ut in eam juret.

Adhuc moraris, quò te Academica
Exempla ducunt, quò Sapientiæ
Patres præiverunt, ſequaci
Ire gradu Giresine? lentus
Adhuc moraris dicere Virginem
Primordiali crimine liberam?
Nec Ferdinandi glorioſa
Te pietas Giresine movit?
Omnes ab Adam criminis aſſeris
Traxiſſe labem. Numquid & ardua
Tot ſæculorum Virgo meta,
Virgo Deum genitura Mater?
Digeſta legum conſule: *Libera eſt*
Auguſta vectigalibus. Erue
Leges, & Inſtitutiones:
Supra *humiles populi catervas*
Regina præſtat: nec paribus decet
Et ſervum & Auguſtam (inſpice Codicem)
Nodis ligari; Auguſta gaudet
Cæſareâ paritate. Quando
Omnes ligantur legibus; unica
Vulgi eſt ſeveris libera vinculis.
Si fas precari eſt, contumacis
Pone animi, Giresine, marmor;
Et molliori pectore Virginem

MATREM QUE adora. Filia Principis,
Dic, labis immunis paternæ
Calce Stygem domino peremit.

AD AULUM LINDANUM.

ODE XVI.

Ætatis flos DEO *conſecrandus.*

ANni præcipiti fugâ
Erepti intereunt Irrevocabili.
Tempus labitur ordine:
Et quod conſequitur pejus, inertiam
Damnat præteriti. Niſi
Greſſus acceleres, AULE, relinqueris.
Seu tu ſtertis in otio,
Horas ſeu laceras mille negociis,
Semper temporis aufugi
Refrena ſpolium. Prima fugit dies
Mortali miſero optima:
Tum morbi ſubeunt, & ſenium grave;
Et triſtis labor, & necis
Inclementis hyems. Ergo quid inciti
Ceſſas temporis inſequi
Horas AULE? Volant, quæ meliora ſunt;
Pejoris ſubeunt vices.
Dum flores Juvenis, dum vigor ingenî
Mentem ſuſcitat igneam,
Heroos animis indue. ſpiritus,
Et te fingere Numini
Dignum ne dubita. Maxima defluam
Ser diſpendia ſubtrahis
Vitam, quiſquis iter lentus in otio

Diſ-

Differs in patriam. Vides,
  Ut Solem tenebræ noctibus opprimunt,
Ut vernantia Sirius
  Flammis prata coquit, nec rigidum gelu
Floræ parcit Hymettiæ?
  Si vivis, propera vivere. Temporis
Præſentis fugiunt roſæ,
  Reſtabit manibus ſpina. Meabilis
Hæc natura boni eſt: priùs
  Exit, quod meliùs; nec redit. eripit
Expectatio craſtini
  Præſentis precium nobile Cinthii.
Illud ſtringere niteris,
  Quod Fortuna rotat: quod manibus tenes,
Dimittis. Pudeat jocis
  Indulgere dies, & vitiis dare
Vitæ limpida tempora;
  At fæces ſenii ſolvere Numini;
Et cùm vel genii fames,
  Vel turpis ſtudium Cypridis ignibus
Defloraverit optimas
  Vitæ primitias, quiſquilias bonis
Servare æthereis. DEUS
  Ætatis niveæ qui tibi ver dedit,
Non promiſit euntium
  Annorum ſtabilem ducere regulam.
Torſan cum venientium
  Diſponas ſeriem credule temporum,
Hoc, qui lenè fluit, die
  Extremi ſpolium funeris occides,

DIALOGUS.
THOMISTÆ ET SCOTISTÆ.
ODE XVII.
De Immaculata Conceptione B. MARIÆ *Virginis.*

Thom. QUi te non amat, ô Sole ſerenior
VIRGO, eſt Oebalio marmore durior,
Hæmi ſævior urſis,
Immanſuetior & tigre.
Scot. Hic te non colit, ô ſidere pulchrior
Unquam VIRGO ſatis; qui tibi defluam
Adæ in poſteritatem
Appingit maculam patris.
Thom. Hic te VIRGO minùs diligit, à tui
Qui nati precio ſanguinis eximit.
Non vult eſſe redemptam,
Qui peccaſſe negaverit.
Scot. Hic te VIRGO minùs diligit, antea
Qui lapſam memorat, quàm tibi fuderit
Pleno Gratia cornu
Immenſi Oceanum boni.
Thom. Sic te MATER amo, ut crimine Filium
Nullo deſpiciam. Sanguinis illius
Eſt injuria, ſi te
Nullo crimine liberet.
Scot. Sic te MATER amo, ut gloria Filio
Hinc ſurgat. Melior dextra Machaonis
Eſt, quæ prævenit ictum,
Quàm quæ vulnera ſubmovet.
Thom. Hæc eſt cauſa tui funeris, ô DEUS,
Ut

Ut lapſos redimas. hoc precio cares
Virgo, ſi genialis
Noxæ es libera vinculis.
Scot. Hæc eſt cauſa dati ſanguinis; ut Deus
Vel lapſum reparet, vel vetet. Impedit
Caſum? eſt gratia major,
Quàm ſi ſublevet indigum.
Thom. Sic te Virgo ſatis diligo; ſic nihil
Nato tollo tuo; ſi patriam notam
Contraxiſſe quidem, ſed
Terſam protinùs aſſero.
Scot. Sic te Virgo magis diligo; ſic tuum
Et natum veneror, ſi patrium ſcelus
Contraxiſſe negem. Nam hoc
Nec te, nec ſobolem decet.

ODE XVIII.

Ambitio & deſideria temperanda.

Quicunque vitam ducere proſperæ
Beatitatis munere candidam,
Annoſque tranquillos anhelat,
Et placidos ſine nube Soles;
Mentis refrænet vota, nec aureæ
Sortis ſecundam credulus aleam
Nimis laceſſat. Quando ludos
Illa parat, facilemque vultu
Serenitatis detegit aream,
Fatum minatur. Si ſolio inferat,
Prærupta formida. Elevabit,
Ut perimat graviore caſu.
Hoc ſervitutem eſt vivere ſplendidam,

Quod

Quod nos vocamus flectere ſubditas
Urbesque, gentesque, & potenti
Imperio dare iura mundo.
Hoc eſt beatum! cùm ſopor omnium
Componit ædes, excubiis ſibi
Vetare ſomnos, nec quieto
Poſſe diem vigilare cœlo?
Hoc eſt beatum; quando per otia
Feſtiva civis ludit, & aureæ
Jucunditatis ſacra nectit,
Mille animum lacerare curis?
Hoc eſt beatum; nutibus omnium
Pendere, ſemper tela timoribus
Portare vitandis, & ipſa
Arma ſui lateris pavere?
Errore vani ducimur impetus,
Umbrâque mentes fallimus. Erigit
Fortuna, ut evertat, nec alto
Te patitur reſidere vallo.
Suis opimam torva ſecuribus
Fortuna Reges deſtinat hoſtiam;
Et quos coronavit, macello
Funereum parat in tributum.
Rarus quieto finiit exitu
Vitam: frequenti ſemita funere
Eſt ſtrata Regum, plurimoque
Septa Ducum via tabet oſſe.
O turpe mônſtrum! ô ambitio impotens!
Stet, quiſquis optat, culmine lubrico
Potentis aulæ; me ſerenâ
Pax animi ſaturet quiete.
Illi ſecures mors gravis intonat,

Triſti-

Triſtique fatum fulminat exitu,
Qui publicæ luci probatus
Ipſe ſibi perit improbandus.

AD B. VIRGINEM SINE MACULA CONCEPTAM.

ODE XIX.

Speculum ſine macula.

SAlve luminis aurei
Flos prime, exoriens purpura Cynthii,
Cœli riſus amœnior,
Et Solis genitrix, & ſoboles ſimul,
Salve AURORA ſerenior!
Si Solis ſpeculum diceris, aureæ
O AURORA parens facis;
Non erro; *ſpeculum* es *Filia Principis*,
Cui nullam maculam halitus
Afflavit Stygius; cujus in æquore
Majeſtas nitet altior,
Et viva effigies Numinis. Audio!
Qui Verbo Pater eſt DEUS,
Hinc Patrem vocitas VIRGO tuum. Pater
Verbum progeniem ſuam;
Et tu progeniem VIRGO vocas tuam.
Alter totus in altero eſt:
In Nato Pater eſt, in Patre Filius.
Sed tu DIVA quoque in DEO es:
In Verbo Genitrix, in Patre Filia:
In te Filius & Pater;
In Matre eſt ſoboles, in ſobole eſt Pater.
In Verbo & Patre Spiritus,

Verbum-

Verbumque & Pater in Spiritu, amabili
Seſe fonte reciprocant.
In Verbo & Patre te VIRGO perennibus
Mater ſtringis amoribus,
Verbumque & Pater in Virgine mutuis
Se amplectuntur amoribus.
Quantum prodigium! quis ſtupor ætheris!
O myſteria! Trinitas
In te tota micat. Quis ſpeculi hoc jubar,
Puro ſidere purius,
Aſperſum máculâ criminis audeat
Poſthac dicere? Virginis (DEI.
Quodcunque opprobrium, eſt opprobrium

ODE XX.

Adverſa ſuſtinenda.

PArce lamentis. leviùs tacentem
Dura ſors tranſit. Mala ſuſtinendo
Ipſa ſe frangunt, teriturque forti
Robore robur.
Quod grave eſt, fiet levius ferendo.
Excutis morbum? gravior redibit.
Suſtines? magnam cecidiſſe partem
Crede doloris.
Navis aſſultum metuens procellæ
Huc & huc fluctu rapitur: marinas
Ridet ad pugnas ſcopulus, nec iræ
Cedit aquarum.
Quod malum credis, facis ipſe. Pone
Mentis errores, & opinioni
Deme; jam nullo vitio laborat

Sortis

Sortis amaror.
Fingimus rebus mala. Somniante
Æſtuant, pugnant, cruciantur, ardent,
Seque per cœdes rapiunt cruenti
Præda furoris:
Mox ubi ſomni vigil ales umbras
Excutit, belli cadit omnis ira,
Quique pugnabat, ſua lætus ipſe
Somnia ridet.
Hoc fuit mentis vitium, malorum
Phaſma fingentis. Patimur, quod ipſi
Fingimus. non ſunt mala; ſed timentes
Eſſe putamus.
Quiſque ſe lædit. Mala quòd putentur
Exterum eſt rebus: meliora dices,
Si juves mentem, Superûmque credas
Eſſe favores.

DIALOGUS
LYLLÆ ET PHYLLIDOS.
ODE XXI.

Quid Natura in naſcentem B. V. MARIAM *contulerit, quid Gratia.*

Lyll. PUella pulchrâ pulchrior Iride,
Et orbe pleni Solis amœnior,
Fontemque Naturæ, ſinumque
Una tibi rapis in tributa.
Phyll. Puella magni filia Principis,
DEIQUE Mater, ſe tibi Cœlites
Proni recurvant, ambiuntque
Virgineas ſubjiſſe cunas.

Lyll.

Lyll. Te ſtemma Avorum clarat, & inclitus
Patrum Senatus, Regia nomina
Faſceſque, Regaleſque ceræ
Et ſtatuæ memores parentum.
Phyll. Tu ſtemma cœli ducis origine,
Patris ſupremi filia, Filii
Auguſta Mater, Spiritûſque
Delicium, redamanſque Sponſa.
Lyll. Tibi in lacertos vel Cedrus arduo
Sinâ vocata eſt, vel Libano ſuper
Virens Cypreſſus, vel Cadanis
Arboribus dominata Palma.
Phyll. Quæ metiatur Virgo decempeda
Tuos lacertos, quæ gremio DEUM
Complexa quondam, comprehendes,
Quod nequeunt capere aſtra, VERBUM?
Lyll. Tibi in capillos vel Galaditici
Dedêre montes vellera capreæ,
Vel Sol verecundos ſerenâ
Fronte ſuper radios vibravit.
Phyll. At, ſeu ſoluto è vertice pronior
Fluit capillus, ſeu magis aureo
Nodo ligatur; tela vibrat,
Tela, quibus DEUS obligatur.
Lyll. Tibi rubentes in ſpeciem roſas
Largita terra eſt; in caput, optimum
Aurum; in pudicas mala malas,
Inque oculos Heſebonis undas.
Phyll. Sed per rubentes in ſpeciem roſas,
Velut decorâ è nube modeſtia
Proſpectat, & per mala, & aurum
Perque natans Heſebone vitrum.

Lyll.

Lyll. Tibi innocenti ſplendidius vitro
In fronte binum ſidus, amabili
Sub palpebra ludens, modeſtum
In radios acuit nitorem.
Phyll. Tibi profuſo gratia lumine
Inaurat imum pectus, & hoſpita
Virtus triumphali coronâ
Virgineas venit in medullas.
Lyll. Tibi rubens in labra corallium,
Vel mala Pœnis frondibus adſita,
Vel purpura Auroræ, vel oſtri
Sidonii veniunt colores.
Phyll. Sed tu modeſto labra ſilentio
Compeſcis: aut ſi in verba reſolveris,
Lac, melque diſtillas, favumque, &
Nectareas imitaris undas.
Lyll. Tuæ miniſtrat lumina cycladi
Sol; in coronam ſidera confluunt,
Et ambiunt frontem, ſacroſque
Luna pedes ſolidare gaudet.
Phyll. Tibi Tonantis dextera filiâ
Dignos amictus donat, & indolem
Elimat; ac ſolerte curâ
In ſimilem ſibi format umbram.
Lyll. Te VIRGO quiſquis non amat, æquora
Furore vincit, ſaxaque cautibus
Marpeſiis durata; & imis
Marmor habet gelidum medullis.
Phyll. Te VIRGO quiſquis non amat, aſpero
Sub corde Pardos, pectore tigrides,
Sinu Leones, & medullis
Indomiti bibit anguis iras.

AD

AD FIRMIANUM.

ODE XXII.

Magno conatu eſt opus ad bonum.

SI dormientem videris Herculem,
Victorioſum jure negaveris.
Jacere neſcit ſub catenis
Deſidiæ generoſa virtus.
Quæcunque ſupra ſunt popularia
Decreta vulgi, non popularibus
Parantur auſis. Pulchra curâ
Pervigili, precioque emuntur.
Qualis, negatis terra ligonibus
Sulcoque aratri, deficit; & ſibi
Permiſſa ſentes horridumque
In lolium vitioſa ſerpit:
Natura talis deterioribus,
Si cura deſit, criminibus pater:
Dum proniores in voluptam,
Difficiles ſumus in laborem.
Illuc vel ætas, vel rapit impetus
Innati amoris, vel comitum chorus,
Vel dux, vel obſcœnus magiſter,
Vel decimo duce pejor hora
Occaſionum fertilis. Ad malum
Non prona, præceps ſemita profluit.
Quod obfuturum eſt, abſque cura,
Sponte venit, perimitque vitam
Fœcundioris ſeminis abditam:
Quod profuturum eſt, non ſine ſedulo
Sudore creſcit. Vis honeſti

Diffici-

Difficilem ſuperare callem?
Intende vires. Hoc opus, hic labor;
Contra ruentem fluminis impetum
Enavigare, & deferentes
Imperio cohibere forti
Fluctus aquarum. Plurima detinent
Tardantque greſſum; pauca juvant. Niſi
Velis reportari, labore
Aſſiduo fluvialis iræ
Infringe curſum, Quidquid amabile eſt,
Sudore conſtat. Surgite, ſurgite:
Quicunque non parcit labori,
Grande feret precium, coronam.

AD CYRUM.

ODE XXIII.

Ne te laudaveris ipſum.

Parcior lauda tua facta Cyre.
Fama virtutem ſequitur. Canêris
Poſtero quondam, tua ſi tacebis
Facta, nepoti.
Nominis famam perimit ſuorum
Præco factorum: melius tacendo
Involas laudes, populique plauſum
Cyre mereris.
Id, quod in laudum numerare cenſu
Cyre debemus, ſibi quiſque debet.
Sola virtutis bona nundinantur
Nominis ævum.
Cætera impellit rota pertinacis
Verſa Fortunæ; Pereunt avorum

Et patrum faſti, veteriſque famæ
Grande tributum.
Jure quod noſtrum liceat vocare,
Laudis in cenſum veniet; quod iram
Non timet fortis, tacitâque tutum
Conditur umbrâ.
Sed ſui nemo bene judicabit
Pectoris merces: aliena acutæ
Cernimus lynces, fugiuntque noſtræ
Nos bona mentis.
Pennas nos laudet peregrina CYRE,
Osque non noſtrum. Malè nundinamur
Laude contemptum propriâ, & rogatâ
Luce tenebras.
Umbrané? an vera eſt tibi, CYRE virtus?
Vera non quærit calamiſtra laudum,
Non peregrini ſtibii nitore
Major haberi.
Imò ſi condas, magis emicabit,
Gloriamque ipſis trahet à tenebris.
Proprium hoc virtus habet, in latente
Vivere nocte.
Si umbra virtutis tua CYRE virtus
Sit, meram ſeſe profitetur umbram
Luce picturæ, graviusque ab ipſa
Laude notatur.
Scilicet quò te magis ipſe laudas,
Æmulum accendis magis, ut profundum
Gloriæ inquirat, videatque tandem
Nil, niſi inane.
Impotes mentis patiaris umbrâ
Gloriæ veſci: tibi vera laus ſit

Laudis

Laudis afflatum fugere, & laterè
Noctis in umbra.
Laus amatorem fugit, & fugacem
Quærit. Hoc noſtro tumulo adnotetur:
Dum fugit laudem, meruit nepotum
Vivere laude.

AD MARIANUM.

ODE XXIV.

Aulæ nemo ſe credat.

REctiùs vives MARIANE, fluctu
Si migres aulæ malè blandientis,
Teque, dum tempus ſinit, ad quietis
Otia ſiſtas.
Namque quis cogit pelagi procellis
Credere attritam fragilemque pinum?
Qui ſubis portum, ſapiente fluctus
Præcipe mente.
Patria hic venti eſt. Malè turbulentas
Æoli rixas Boreamque damnas,
Quique commotis feriunt carinam
Fluctibus, Euros.
Sanctiùs temet MARIANE damnes,
Qui tuam ponto malè credidiſti
Sponte jacturam, dubioque vento
Vela dediſti.
Semper infidum eſt maris inquieti
Otium. Somnum ſimulat; ſed horâ
Surgit hac ipsâ, rigidasque motum
Sævit in iras.
Indolem ignoras pelagi? quid ergo

Neſcius credis tua teque ponto?
Ante debebas animo videre
Sitné fidelis.
Nam quis ignoto laris apparatum,
Aut opes fidit? quis amico & hoſti
Credit ex æquo, gremioque eodem
Stringit utrumque?
Ergo vel tentas malè ſanus aulam,
Aut ubi tentas, tibi damna debes.
Plangis alliſus ſcopulo? hanc paraſti
Tu tibi ſcenam.
Tutiùs vitas mare, quàm rebelles
Opprimas fluctus. Documenta præbent,
Clitus, Eutropîus, Stilico, Cleander,
Quotque per aulæ
Naufragi ventos caruêre portu.
Principum vultus, MARIANE, crede
Blandiens æquor. Placidè jocatur,
Hic, ubi ſævit.
Ergo dum tutâ licet ambulare
Semitâ, inſanas fugias procellas,
Teque Neptuni violentiori
Eripe fato.
Candidos Soles dabit iſte ceſpes
Pacis optatæ, riguisque cœlum
Depluet gemmis, & amica fundet
Gaudia menti.

AD

AD BEATISS. VIRGINEM MATREM NOSTRAM.

ODE XXV.

Mater! quid ultra? Diximus omnia;
Quæ vel calorem mentibus ingerant
Amantium; vel noſtri amore
Te pariter pia Virgo nodent.
Mater! Dei ne? an noſtra magis? Dei
Et noſtra Mater! Delicium tuum
Eſt ille Joſeph: nos acerbi
Heu! nimium ſoboles doloris.
Ferale montis nam memini jugum;
Quo mortis atræ cruda neceſſitas
Pœnis fatigavit Tonantem,
Et manibus pedibusque læſum
Fixit trabali ſtipite: tunc Cruci
Propinqua Mater; non medicabili
Dolore tabeſcens, cadentis
Fata Dei (miſeranda Mater!)
Coràm gemebas: Ergoné filio
Parens carebo? Cætera lancinans
Singultus, & mœror Tyrannus,
Et lachrymæ, & gemitus vetabant.
Audit probroſâ de trabe pendulus
Natus gementem: Nec mea Filio
(Inquit(carebis Mater: ille,
Ille mei ſocius doloris,
Qui quercui adſtat, filius eſt tuus,
Hæresque noſtræ ſortis: amoribus
Hunc ſtringe maternis, tuoque

Præſidio genitrix tuêre.
Exinde proles turba ſumus tua,
Tu noſtra MATER: quos licet ad Crucem
Enixa ſupremo es dolore,
Nos tenero tamen uſque amore
Complexa ſtringis. Sunt oculi tibi
Periculorum non malè conſcii,
Queis noſtra jactatur carina
Ad ſcopulos, dubiasque Syrtes.
Aperta noſtris eſt tibi vocibus
O MATER auris: nec pateris prece
Auras flagellari; aut inani
Vota dari gemitusque vento.
Eſt liberalis dextera, & impigri
Fœcunda doni; quâ pereuntium
Levare egeſtatem, obviisque
Muneribus cumulare gaudes.
Si ſæva circùm nos rotet horrido
Giro Charybdis, vel tumido obruat
Malea ponto, vel latratu
Scylla premat, ſitiensvé Syrtis;
Periclitantes tu pelagi Pharos
Vides ab alto, & porrigis obviam
Patrona dextram; tu vocantis
Vela regis Cynoſura nautæ.
Si nos frementûm exercitus hoſtium
Cingat coacto denſior agmine;
Tu DIVA, præmunita *Turris*,
Aut *Acies* eris *ordinata*,
Quæ fulminantûm conterat hoſtium
Virtute robur; quam nec ahenea
Procella Martis, nec volante

Flamma

Flamma rogo trahat in ruinam.
Si peſtilenti intoxicet halitu
Auras venenum, perque cadaverum
Exercitus promiſcuorum
Tetra lues agites curules;
Tu *Lilium* es Virgo, aut *Roſa myſtica*
Odore fragrans; tu Dea *Galbanum*,
Tu *Balſamum*; tu *Cynnamomum* es,
Tu dubiæ medicina vitæ.
Tu Diva nobis *omnia in omnibus*
Sed pauca dixi? ſtringimus unico
Complura verbo: tu benignum
Nomen habes, geniumque Matris.

In Morbo

AD BEATISS. VIRGINEM SALUTEM INFIRMORUM.

ODE XXVI.

Corpus fatiſcit, pondus inutile,
Mentique vires denegat. Heu! nimis
Vires caducæ, ſi cadente
Corpore, mens quoque collabaſcit!
Heu cæca mens! heu! undique nubilis,
Densâque tetræ noctis imagine
Concluſa, in æternos nitores
Pigrum animum nequit evibrare!
In labra lentè progrederis, Salus
Maria morbis: aſt animum tamen
Totum occupaſti. Cor amore
Ardet; at obſequiis amantis

Vox non ſecundat. Diligo, diligo
Te corde toto, VIRGO, Salus mea.
Si cogitando mens fatiſcit,
Se reficit cor amore. Qualis
Madente pennâ fulminis aliger
Fruſtra laborat ſeſe humiles ſupra
Librare terras, penneoque
Obſequio penetrare nubes;
Tamen capacem luminis aurei
Solisque vultum tollit; & æthera
Viſu ſupergreſſus negatum
Spectat iter, ſuperatque vultu;
Labante talis corpore, vividum
Elibro amorem: quodque loqui vetor,
Sentire fas eſt. Hoc amantum eſt,
Pauca loqui, teneroque corde
Sentire multa. En VIRGO, ſilentium
Pro me perorat. Dum taceo, loquor:
Amo: nec ultra. Si tacebo
Plura loquor; quia plus amabo.

DIALOGUS
B. VIRGINIS & S. JOSEPHI.
ODE XXVII.

De mutua utriuſque excellentia.

S. Joſ. QUi tuas laudes volet explicare
VIRGO, de cœlo vocet aſtra & ignes,
De mari gemmas, viduetque; totos
Floribus hortos.

B. V. Qui tuos, JOSEPH, volet in coronam
Ducere

Ducere ornatus, mare & aſtra puras
Vertat in linguas, animetque Pœſti
Lilia verbis.

S. Joſ. Unico MATRIS titulo decorem
Omnium abſorbes. *Melior creari*
Non poteſt Mater. Titulus Tonanti hic
Meta laborum eſt.

B. V. Te PATREM Numen veneratur. Uno hoc
Nomine abſorbes titulos beatæ
Patriæ, & quidquid locuplete fundit
Gloria cornu.

S. Joſ. Vena virtutum es, mare Gratiarum,
Fons boni, noſtræ genitrix ſalutis,
Et DEI MATER, ſobolesque, amansque
Sponſa Tonantis.

B. V. Tu PATER Verbi es; tibi Numen ipſum
Præbet auditum, ſequiturque ductum.
Imperas? audit. prohibes? vetantem
Filius audit.

S. Joſ. Naufragis Arca es, precioſa gemma
Pauperi, ægrotis medicina, Aſylum
Es reo, erranti via, Marte preſſis
Turris eburna.

B. V. Tu præis Arcæ, tibi gemma lucet,
Tu viæ ductor, placidusque Aſyli
Præſes, & Cuſtos vigil ac fidelis
Turris eburnæ.

S. Joſ. Tu baſis recti es, ſpeculum Angelorum,
Hortus occluſus, Salomonis ædes,
Fœderis ſignum, Cynoſura ponti,
Ianua cœli.

B. V. Tu baſim firmas, ſpeculumque ſpectas,

 Excubas

Excubas Horto, ſolium tueris,
Fœdus obfirmas, Cynoſuræ adhæres,
Januam honeſtas.

S. Joſ. VIRGO, tu cœlum es Deitate plenum,
Mille ſtellarum radiis amœnum,
Mille diſtillans pluviis, ſolumque
Numine replens.

B. V. DIVE, tu cœlum hoc agitas; tuos ſe
Volvit ad nutus. Jubeas; quiete
Stabit immotum. Jubeas; citatis
Curſibus ibit.

S. Joſ. Tu Liber vitæ es, Deitatis ara,
Numinis ſedes, radiata Solis
Aula, Caſtellum benè roboratum,
Urbsque ſalutis.

B. V. Tu Librum primus legis, & Sacerdos
Immolas aræ, tibi Solis aula
Paret, & Caſtrum benè roboratum
Lege gubernas.

S. Joſ. Scala Sanctorum es, veteris ſigillum
Legis, aſcenſus Salomonis aureûs
Purpurâ inſtratus, veniæque vena, &
Vita bonorum.

B. V. Tu Redemptoris vigil es Redemptor,
Tutor es Vitæ, veniæ canalis,
Legis exemplar, Sapientiæque
Dive Magiſter.

S. Joſ. Sed tuas laudes meliùs ſilebo.
Sepè laudamus graviùs tacendo:
Quando verborum eſt minor apparatus,
Copia major.

B. V. Sæpè laus magna eſt, ſiluiſſe laudes.
Quod

Quod vetor verbis, taciturnitate
Suppleo. Laus, quæ eloquium fatigat,
Maxima laus eſt.

AD LUCILLUM TREBONIVM.

ODE XXVIII.

Ira frænanda.

IRam memento frangere. Sanguinis
Siti laborat; ſeque per arduas
Dum volvit obſtantûm ruinas,
Ipſa ſuam trahit ira cladem.
Mutat colorem frontis, amabiles
Vultus pyropos, lumina: funerat,
Collum retorquet, labra mordet,
Membra quatit, tumidumque pectus
Tundit lacertis, brachia disjicit,
Urit medullas, viſcera toxicat,
Rumpitque venas, & tremoris
Supplicio populatur artus.
Si quem ferenti videris impetu
Jactare flammas; aut hominem nega,
Aut crede ſtultum: nam furenti
Ira rapit maleſana mentem.
Hinc cæca in urbes provolat; eruit
Stantem perenni marmore Colchidem,
Perſasque turres, & Canopi
Regna gravi reſupinat igne.
Quid hic venena, aut mutua funera
Fratrum recantem? quid malè ſontium

Exempla Thebarum, aut Draconis
Progeniem, ſegetemque Cadmi
Stantem ſub æris pondere Martii;
Imiſque mixtum Manibus Ilion,
Verſam Saguntum, pulvereſque
Dardanios, cinerumque Romam
Nerone læto contumulantium
Immane pondus! ſcilicet omnia
Involvit œſtro, fluctibuſque
Implacidis populatur ira.
Tu ſceptra cordis, tu violentiæ
Ne cede faſces pectoris integri;
Sed lege, conſtantique fræno
Ipſe tuæ dominare menti.
Nam jura cordis ſi ſemel eripit,
Extinguit acrem judicii diem,
Et nomen, & vitam, ac honores
Præcipitem trahit in ruinam.

AD PHILOSOPHOS

ODE XXIX.

Sapientia eos ad dura laborum experimenta hortatur.

VOtis honorem venor, in ardua
Aptate curſus, non humili ſedet
Terræ pavimento, nec udâ
Pulcher honor reſidet ſub umbra.
Salix aprici eſt littoris accola,
Quercus ſuperbo in vertice frondium
Pandit juventam, colliumque
Difficili viret in theatro.

Silex

Silex plateas obſidet; æquoris
Natura gemmas condidit alveo,
Fulvumque tellus ſub profundis
Viſceribus ſepelivit aurum.
Labore conſtat quidquid amabile eſt:
Bello triumphus, metaque curſibus,
Luctâ coronæ, portus irâ
Oceani, decimoque fluctu.
Non ante foſſor Dalmata pallidis
Aurum cavernis eruet abditum,
Ligone quàm multo tenacem
Pandat humum, gremiumque ferro
Altum recludat: Navita Boſphori,
Ditisvé Erythræ fervidus inſtitor,
Non ante piſcatur pyropos,
Aut pelago trahit uniones;
Quàm ſe profundo merſerit æquore.
Multis emuntur pulchra laboribus.
Non dormientem Martis ambit
Laurus Amor, reſidemvé frontem.
Si vos honoris tangit amor, manus
Aptate duris. Non reſidi venit
In rete dextræ, pertinaci
Pulcher honor capiendus arte.

AD THEOLOGIÆ BACCALAVREOS.

ODE XXX.

Eorum de fortunâ victoria commendatur.

NOn vos rotatæ ſtravit ahenea
Imago ſortis, non minitantibus

Plumbum procellis inſecutum,
Non tragico ſimulachra belli
Timenda vultu. Vidimus impetus
Rhamnuſianos, vidimus horridum
Fulgur pharetrarum, & calentes
Invidiæ minitantis iras.
Sed mentis altæ non humilis calor,
Furorque belli, non penetrabili
Virtute texit, ne prementis
Ferrea diluvies Tyrannæ
Quaſſum tumultu contereret caput.
Quanti minacem funditis æmulam?
Quanti neces, & prævolantis
Atteritis ſimulachra lethi!
Vis eruditi filia conſilî
Formidoloſis agmina præliis
Inſtructa terret. Quid ruinam
Enceladus meditatus aſtris
Contra ſonantem Palladis ægida,
Aut quid minaci centimanus Gigas
Pavendus ictu; quid protervo
Prophyrion valuit furore?
Vis conſilî expers mole ruit ſuâ,
Sacræ maritam vim Sapientiæ
Laceſſit incaſſum procellæ
Sarmaticæ famulatus enſis:
Sic publicarum non benè pendulâ
Virtute rerum robora ſiſtitis;
Dum collabantium tenetis
Conſiliis, animisque lapſum.

AD

AD R.D. JACOBUM ZVTTINIS.

ODE XXXI.

Cùm abſolutis Theologiæ ſtudiis in patriam vocaretur.

QUâ vitrearum Numina Doridum
Pronas aquoſis obſequiis Deas,
Servamque flectit Amphitriten
Adriaci maris Imperatrix,
Deſiderantis te populi fames
Avara poſcit. nec patiens moræ
Votis coronat: ô tuorum
Primus honor, columenque gentis!
Quouſque docto Pallas in otio
Vinctum tenebit? Sextus in Auſtria
Te cenſet annus, jamque mœſto
Mille mihi numerantur anni.
Hæc vis amoris; neſcius eſt moræ:
Quin mors amori quælibet eſt mora.
Tandem catenatas, JACOBE,
Frange moras, patriiſque rurſum
Succede terris, lauta ſcientiæ
Tuis daturus prandia gentibus.
Audin' voventes! ominamur,
Grande tuis epulum parabis.
Paſces opimæ nectare gratiæ
Aures famentûm, & munere conſilî,
Simulque defectis per aures
Reſtitues auimis vigorem.

Ad Celſiſſimum S.R.I. Principem ac Dominum, Dominum

JOANNEM WAICHARDUM PRINCIPEM AB AVERSPERG, &c.

ODE XXXII.

CONSOLATIO

In morte FERDINANDI IV. *Romanorum, Hungariæ, ac Bohemiæ Regis, cujus aulæ Supremum Præfectum, Supremumque Camerarium agebat.*

ET magna Regum nomina funebri
Merguntur urnâ. Lethifer incubat
Tectis palatinis lacertus,
Et volucris taciturnus horæ
Impellit alas. Huc diademata,
Huc ſceptra vergunt, huc dominantium
Regum ſecures, quique lambit
Regificum latus ardor oſtri.
Nec FERDINANDO cruda neceſſitas
Fati pepercit, ſæcula quamlibet
Videre digno, Neſtoriſque
Ad numeros numerare luſtra.
Hinc mœror orbi; hinc dilacerantium
Flictus dolorum; quæque tibi exedit
WAICHARDE tempeſtas medullas,
Atque animi violenta plaga.
Sed mitte cœlo vulnera pectoris;
Et quem fateris Numinis ordinem
Nunc demum adora, ac deſtinantem

Fata

Fata manum reverere cœli.
Nutu Tonantis vivimus: illius
Nutu emigramus. Dextera, quæ dedit
Vitam, reſumit. Sive donet,
Sive adimat manus illa vitam,
Verenda ſemper: nec minus eſt patris,
Si vulneret, quàm ſi foveat. Malum
Quod æſtimamus, ſæpè pronus
Ille bono meliore penſat.
At longiori prætereuntium
Circum dierum currere tempore
Virtus merebatur, nec ante
Funereo decus ungue carpi,
Quàm ſe explicaret fructus hiantibus
Maturus aſtris? Sed ſatis ætheri
Maturus ille eſt, corrogatis
Qui meritis ſuperavit annos,
Et longa vitæ ſæcula floridâ
Ætate clauſit. Nempe tumultuans
Sulcamus æquor, diſſitumque
Quiſque cupit tabulare pontum.
Nec unus omnes Cynthius excipit:
Hunc præliantes diſſidio Nothi
Auſtrique verſant, & ſiniſtræ
Vota animi remorantur auræ:
Illum rogatis portubus Æolus
Secundus infert. nemo per æquoris
Diu fatigatus procellas
Ambiguo ſua vela ponto
Erraſſe jactat. Gloria major eſt,
Compendioſi temporis orbitâ
Stitiſſe arenâ, quàm per annos

Lu-

Ludibrium pelagi rotari.
Nec inde verſis acta volatibus
Te ſors relinquet. Tu ſuperes tibi
WAICHARDE. Si totus fluentem
Præcipitet polus in ruinam,
Totusque motis ſedibus in chaos
Dehiſcat orbis, tu ſuperes tibi,
Fons ſcilicet felicitatis,
Ipſe tibi melioris author,
Faberque ſortis, venaque euntium
Dives bonorum. Quin ſupereſt tibi
Et Imperator FERDINANDUS,
Ille tuæ ſtudioſus ultor,
Vindexque famæ. Dum ſuperes tibi,
Dum FERDINANDI in pectore conſides,
Quæcunque te fortuna verſet,
Fracta tuos cadet in triumphos.
Remitte magni pectoris ulcera,
Invicte PRINCEPS. Quæ ſemel abdidit
Fortuna frontem, cum ſequente
Sole iterùm rediviva ſurget.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum
Dominum,

D. BERNARDUM
COMITEM à MARTINIZ, &c.

ODE XXXIII.

Cùm Aurei Velleris Eques crearetur.

PANEGYRIS.

BERNARDE, magnum nomen, & inclyti
BERNARDE regni gloria, poſtero

Can-

Cantande Muſarum labore,
Nunc humilem chelyn indiſerti
Admitte vatis. Jam mihi Moldavæ
Ad littus hinnit Pegaſus, & tuum
Suſpenſus ad nomen Camænas
In faciles jubet ire verſus.
Hîc prima cunas dicitur ad tuas
Lucina grandes pectoris impetus
Tuliſſe, fœcundamque mentem
Palladiis animaſſe curis.
Nam quidquid alto pulchra ſcientia
Sinu recondit, divite copiâ
In te profudit; erudito
Quidquid habet gremio Minerva.
Te vena prompti nobilis ingenî,
Te fons amœni limpidus eloquî,
Te Suada mater Gratiarum,
Te faciles comitantur aurêi
Sirenes oris: te calor impulit
Inevolutas Socrati imagines
Veri, Stagyræaſque noctes
Ad rutilum jubar evocare
Puræ diei. Tu penetralia
DEI ſubintras; nomina digeris
Nati, Patriſque, Spiritusque, &
Quidquid habet ſtudioſus artis
Divinæ Aquinas, vel ſapientibus
Scotus tenebris Palladis obtegit.
Tu jura legum, civiumque
Jura notas, facilique promis
Facundus auſu. Tu Tacitos refers,
Faſtosque Livî, regnaque mutuis

Col-

Colliſa bellis, & vetuſta
Facta virûm, ſeriemque Regum,
Et celſiorum ſtemmata Principum,
Ducunique ſtirpes ſedulus explicas;
Ortusque, fataleſque caſus
Nobilium enumeras virorum.
Te regiarum gloria mentium
Natura, honeſti cincta cohortibus,
Omnisque virtutum Senatus
Concilio graviore ſtipat.
Te conſonantûm nobile nominum
Agmen coronat: rebus in arduis
Infracta mens, conſtansque pectus
Frons hilaris, ciliumque planum;
In ore riſus, non ſuperabile
In corde robur, nec minor Herculis
Virtute virtus, promptus ardor
Per tragicæ ruere arma ſortis:
Mens plena Conſo, provida caſuum
Fax imminentûm, dignaque regias
Vices miniſtrare, & Bohemas
Imperio cohibere gentes.
Hinc FERDINANDUS, gloria Cæſarum,
Prima Auſtriorum gratia Principum,
Per te Bohema ſuſtineri
Jura jubet, patriasque gaudet
Leges foveri. Hinc Velleris Aurei
Laborioſo dives Iberia
Te veſtit ornatu, & frequente
Irradiat tua colla gemmâ.
Phryxiné dicam hoc vellus Jaſonis,
Et fabuloſa m Peliacæ ratis

Dra-

Dracone ſopito rapinam, aut
Theſſalici ſpolium laboris?
An quod cadentis conſtitit areâ
Immune roris (quod Gedeon ſtupet)
Cùm tota circùm caſtra guttis
Decidui immaduêre roris?
Utrumque credas. Sic tibi Jaſonis
Innata virtus! Sic tibi Virginis
Amor medullas occupavit!
Illa tibi properavit auro
Sponſare collum: hæc pectoris intimis
Seſe medullis intulit: hanc pius
Parentem adoras, & frequente
Munificus venerâris arâ.
Quò tendis audax Pegaſe, divitis
Narrare mentis vaſtam opulentiam,
Cœloque confines calores,
Et liquidæ pietatis ignes?
Hìc ſiſte greſſum. Sed tibi ſit ſatis
BERNARDE; magni gloria ſanguinis,
Nos multa velle, pauca poſſe,
Inque tua occubuiſſe laude.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum
D. JOANNEM FRANCISCVM TRAUTHSON,
COMITEM IN FALCKENSTAIN, &c.
ODE XXXIV.

Cùm anno Jubilæo Romam devotionis ergò proficiſceretur.

SI ſic ſtatutum eſt, limina amabilis
Romæ oſculari; perge faventibus,

FRANCISCE, Divis, Adrianas
Scinde maris ſubeuntis undas,
Rixaſque ponti, & diſſociabili
Turbata vento marmora Nerei:
Scindente te pontum, quietos
Æquor agat famulare ſomnos;
Et contumaces Æolus impetus
Tumultuoſo carcere comprimat:
Tandemque Lauretana primùm
Templa ſubi, reſerata nato
Delubra Verbo, Hîc hoſpita limina
Divinitati, & nobile fœdere
Tectum maritali, & pudicum
Virgineæ penetrale ſedis
Verêre pronus, votaque ſupplice
Suſpende dextrâ. Nam tibi quæ magis
Volupta pectus, vel natantem
Deliciæ potuêre mentem
Captare; quàm ſi certa labantium
Tutela rerum, ſi taciti laris
Verenda majeſtas vetuſtos
Te videat poſuiſſe gentis
Faſtus ad aras? Tum propior vago
Succede Tybri, quâ gravioribus
Superbus undis ſepticollem
Alloquitur taciturnus urbem.
Hîc prima ſanctæ baſia cernuus
Defige portæ, cordaque grandibus
Onuſta votis ad verendas
Exonera pietatis aras.
Hîc multa prô te; multaque filiis,
Magnæque ſtirpi; plurima Cæſari

Precatus Auguſto, & Viennæ, &
Auſtriaci generis triumphis,
Non antè feſſum ſupplice poplitem
Attolle terrâ, quàm tibi Numinis
Firmentur annutu benigno
Vota pio comitata fletu.
Tum gratiarum plenus ab ubere,
Plenus bonorum, divite copiâ
Quæ Roma fundit, te ſecundis
Auſpiciis iterùm Viennæ
Repone curis. Sic bona Numina
Favete venti! Sic bona ſidera
Favete cœli! Sic Quirinam
Viſe Deam, ut repetas Viennam.

Ad Eundem Illuſtriſſimum
& Excellentiſſimum

D. COMITEM.

ODE XXXV.

Cùm Româ redux buſtum ſui palatii intueretur.

SUbſiſte. Magni buſta palatii
Cultæque muros ſemirutos domus,
Vultu ſerenato, & relapſum
In cineres ſpeculâre tectum.
Quæ forma rerùm? quæ facies laris
Eviſcerati turbine flammeo?
Quæ vis palatinum dolendo
Depoſuit penetrale caſu?
O ſempiterni provida Numinis
Mens! ô perennis regula caſuum!

Tu

Tu magna proſternis repentè, &
Strata iterùm relevas, priori
Reddens vigori. Nil renuentibus
FRANCISCE Divis, nil valet igneæ
Turbo procellæ; nil feroce
Sors jaculum minitata nervo.
Quò fata mandant, huc tragicos agit
Fortuna caſus. Hîc, ubi flammea
Lares inundavit procella,
Et rapido cineravit igne.
Hîc eſt volentis dextera Numinis:
Imò & faventis. Quod rapit, eſt ſuum,
Nobiſque tantùm commodavit.
Seu pluvios agat ille nimbos
Torrentis inſtar; ſeu magis ignium
Ardente mergat tecta volumine,
Eſt obſequendum. Fœneramur,
Dum patimur, quod amicus ordo
Juſſit polorum. Debita reddimus,
Largo viciſſim munere mergimur.
Parùmque dum damus, novenus
Accumulat lucra noſtra cenſus.
DEUS, paternâ quod dederat manu,
Tollit paternâ. Nil ego lachrymis
Concedo juris, nec probroſos
Per gemitus cruciabo mentem.
Hæc eſt virorum gloria fortium,
Perferre caſus, quos timidæ pavent
Mentes, & in magnis ruinis
Intrepidum ſolidare pectus.

Ad

Ad Eundem Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum

D. COMITEM.

ODE XXXVI.

In morte FERDINANDI *filii ejus primogeniti, conſolatio.*

QUæ ſpes ſpopondit, naufraga tranſtulit
Vita in ſepulchrum. Sic malè creduli
Mentem ſaginamus futuris,
Et mediis inimica votis
Spes Parca ſcindit. Quid variabilem
Fortunam amamus? Quid refluentium
Rotamur Euripo bonorum,
Speque avidâ meliora ſemper
Fruſtra voramus; dum regementibus
Sorbemur undis, & dubii meant
Per fata votorum mæandri,
Seque ſuis inimica votis
Vota inquietant? Vix benè labilem
Metimur horam, & ſæcula fingimus
Præſentis ignari futurum
Per tabulas numeramus ævum.
Fruſtra. Statuta eſt meta cupidini,
Votiſque noſtris terminus. Ibimus,
Cùm mors vocabit, cùm movebit
Impatiens Rhadamantus urnam.
O quanta, magni ſtemmatis unica
Spes FERDINANDUS, ſanguinis unicum
Decus, ſpopondit! Sed perivit
Spes propero liquefacta letho.

Il-

Illum, paternarum hoſpita ſedium
Virtus, tenellum dicitur aureo
Strinxiſſe complexu, & medullis
Ingenuos religaſſe mores;
Finxiſſe frontem Solibus æmulam,
Binos pyropos ſub ciliis, genas
Et lacte & oſtro miſcuiſſe,
Parva roſis miniaſſe labra;
Formâſſe totum corpus in arduas
Virtutis ædes; pectoris aream
Capacitati aptaſſe mentis,
Conſilio caput ordinaſſe.
Maturiorem mox ubi grandior
Afflavit ætas, hunc decorum parens
Minerva ſuſcepit, manuque
Per gemini juga ſacra Pindi
Ad Hippocrenen duxit, & entheis
Potavit undis, oraque gratiis
Perfudit, & blando fluentem
Eloquii dedit amne Suadam,
Mentique totum infudit Apollinem.
Illi vetuſti ſæcula temporis,
Faſtosque, moresque & cruenti
Noſſe dedit fera bella Martis;
Provinciarum nomina, & Urbium
Situs, natantûm littora fluminum,
Sylvasque, deſertasque cautes,
Nobilium monumenta avorum,
Ortusque cerarum, & genus inclitum,
Et grandiorum ſtemmata Principum,
Caſusque Regum, quos vorantis
Invidiæ cineravit æſtus.

Illi

Illi & ſeveras addidit arduæ
Curas Stagyræ, & jura Lycurgica
Deſcripta virgâ, & per fideles
Jura Patrum revocata leges.
O ſpes inanes! votaque præcoci
Succiſa fato! ſtemmatis incliti
Hæc gemma rapta eſt, hic parentum
Flos cecidit, reſoluta in auras
Hæc ſpes abivit. Tu tamen abſtine
FRANCISCE, luctu; quaque ſoles gravi
Virtute deſpectare ſortem,
Cûm tragicum citat in theatrum,
Hac pectus arma; & turbine ſpiritum
Excelſiorem ſurrige. Quæ ferit
Manus Tonantis, blandietur.
Fit levior tolerando plaga.
Non omnis alti ſanguinis alveo
Adempta ſpes eſt. Vivit adhuc ſuper
ERNESTUS, & SIXTUS, parentum
Effigies, decoriſque uterque
Hæres paterni. Vivit adhuc tener
IGNATIUS, vera effigies ſuæ
Deſcripta Matris, & puellus
Jam ſenium Patris æmulatur.
Vivit paterni nominis ultimus
FRANCISCUS hæres. Quam tibi ſuſtulit
Spem FERDINANDUS, hanc reponent
Bis geminus ſine fraude natus.

AD LEONARDUM PONTICVM.

ODE XXXVII.

FRAGMENTVM STOICVM.

De bono paupertatis.

QUæ poſſunt adimi, ne tua dixeris,
Veræ divitiæ pectoris occupant
Arcem. quod ſonat extra,
Sortis ludibrium puta.
Si Fortuna favet, PONTICE, ſi grege
Multo balat ager, ſi tibi jugera
Ter millena metuntur,
Multiſque horrea meſſibus
Stant exculta, ſeges ſi tibi pinguibus
Dives nutat agris; ſi Babylonii
Campi, aut Pontica ſilva
Vectigalia deferunt,
Fortunam metue. hoc ſævit atrociùs,
Quò mentes fatuas molliùs allicit.
Dextrâ hac fata vocamus,
Quam protendimus ad levis
Fortunæ precium. Qui nihil accipit;
Nil, quod reddat, habet. Perdere multa vult,
Qui vult multa tenere,
Et nunquam modico ſatur
Immenſis inhiat. Cuî nimium favet,
Hunc Fortuna premit. Sæva repoſtulat,
Quod donavit amica.
Nil vis PONTICE perdere?

Gau-

Gaude magnanimâ pauperie premi.
Si nil poſſideas, nil tibi detrahet
Livor fortis iniquæ,
Nil tolli metues tibi.
Quod ſi pauca dedit ſors; ſine lachrymis
Reddes, quando volet. Non repetit, niſi
Quæ conceſſerit. Illam
Blando, ſi fugiat, joco
Audax inſequere; at ſi faveat, cave
Complectare animo. Quidquid amaveris,
Perdes ægriùs. Ergo
Ut perdas facilè omnia,
Nil juratus ama; nil iterûm DEO
Conſignare time. Si tibi largior
Fortunæ affluat aura,
Inſtar divitis alvei
Tranſmitte ulteriùs. Si fueris tuus,
Nunquam pauper eris. Quidquid abiverit,
In pectus ſubituræ
Virtuti faciet locum.

AD POETAS.

ODE XXXVIII.

Hortatur ad ſuperandas Poëtici ſtudii difficultates.

ET jam ſupremus vos labor evocat,
Invicta pubes. Jam propè Phocidos
Tenetis amnes; jam fluenta
Pegaſei laticis videtis,
Fonteſque Cyrrhæ. Quæ ſuper eminent,
Audete vates non revocabili

Calcare greſſu terga montis,
Et geminum ſuperare clivum.
Nec delicatum ſemita durior
Pedem retardet. Gloria non legit
Flores Hymetti; non inerte
Fama venit rapienda dextrâ.
Natura magnas difficili loco
Res collocavit: præmia in arduo
Stant fixa. Vileſcit corona,
Quæ modico ſtudio paratur.
Nautam ſeveri torva licentia
Neptuni, & iræ prodigialium
Matres procellarum, gravique
Oceanus rabioſus Euro
Commendat. Auræ ſi pelago imperent
Eteſiarum; ſi joca miſceat
Indormiens pontus, nec udis
Unda fremat furiata bellis;
Quæſitum honorem navita perdidit,
Parata bello laurea militem
Honeſtat; immunis laboris
Palma animi eſt nota vilioris.
Huc ſacra pubes erige pectoris
Æſtus decoros; quò via penduli
Scabroſa montis per labores
Pandit iter, riguosque vultu
Sudoris imbres elicit. Hàc patet
Via ad coronas. Gloria ſemitâ
Venit dolorum: per labores
Laus emitur preciumque famæ.

AD CAROLUM SEDIMUM.

ODE XXXIX.

Quis ſit vir fortis dicendus.

FOrtem vocabis CAROLE, non cui
Micant feroci è caſſidę fulgura,
Aut fulmen è dextra, ſeveræ ex
Fronte minæ, ex oculis ſagittæ;
Non cuî minaces, vel clypei timor,
Vel dempta Marſis terga leonibus
Tegunt lacertos, vel Gelonæ
Dant animos rabiemque lynces:
Sed cuî ſerenum ridet ab aurea
Quiete pectus; cuî moderatio
In fronte lucet, quem nec ira
Nec trepidus timor inquietat:
Quem nulla mentis ſeditio movet;
Qui ſemper idem eſt, ſeu popularium
Theatra laudum convaleſcant,
Sive probrum, ſolitum pavendâ
Terrere ſcenam fronte, tragœdiam
Fati elaboret. Ceû mare, dulcia
Cœli per undas depluentis
Bella ſuum trahit in colorem:
Ceû tectus atrâ nube Dieſpiter,
Ridet procellam turbinis obviam,
Et mugientes criſpiſulco
Igne polos, dubiâque pendens
Cœlum ruinâ. Pectoris editam
Arcem cruentis ſeditionibus
Fortuna tentabit, nec ultra

Indecores Dea fundet iras.
Non ille fatum, non rigidi minas
Fati pavebit; non inamabilis
Tormenta Fortunæ, aut ruinam
In cineres pereuntis orbis.
Non ille, denſo plebis in agmine
Amans videri, murmura civium
Plauſusque depoſcet, theatrum
Ipſe ſibi, ſibi ſcena, & Actor,

AD PHILOSOPHOS.

ODE XL.

Ad debellandam inertiam animantur.

IUrata Pallas deſidis otii
Calcare regnum, & tollere languidæ
Leges voluptatis, juventam
In calidos animabat auſus:
Labore conſtant magna: perennium
Hic fons bonorum eſt, venaque gloriæ,
Aurora famæ, nominisque
Eximii precioſus alveûs.
Placet tiaras laureus aureo
Giro retortus? fulgura nominis?
Empta inſecuturo nepoti
Nobilitas, memoresque ceræ?
Hàc ite, quà ſe porrigit arduo
In aſtra clivo ſemita gloriæ.
Impendioſo longa fama; &
Pulcher honor veniunt labore.
Non vana juſſit. Mentibùs illicò
Injecta veſtris flamma per invium

Cal-

Callem volandi, ſemitamque
Palladii ſuperandi honoris,
Veſtigia urſit. Scilicet improbo
Nihil labori eſt inſuperabile.
Illic ſtetiſtis, plurimorum
Quò ſtudium nequit elevare
Mentis vigorem. Non tamen improba
Adhuc Voluptas agmine mollium
Stipata Amorum; non inertis
Deſidiæ cecidêre fraudes;
Donec ſagittas corripuit manu
Arcumque Pallas non ſuperabilem,
Jugoque de celſo furores
Ipſa ſuos jaculata, dixit:
Quò me ſupinâ torpor, inertiâ
Umbrate vultum, in prælia ſuſcitas?
Quò fronte mendaci Voluptas
Dedecorum mala nundinatrix
Primos juventæ protrahis impetus?
Non otioſum, non egò languidum
Bibi furorem, non columbæ-
-Imbelli animâ, tenuique milvi
Obarmor irâ: quæ ſimul edita,
Armata vidi brachia Gorgone,
Haſtamque & audaces favillas
Per calidum radiare pectus.
At nunc & alti pectoris inclitâ
Cohorte cingor; quæ ſimul arduos
Delibrat ictus, queis cadatis
Non iterùm reditura monſtra,
Imbelle nomen! nata ſilentii
Heroas atris condere nubibus

AD ÆLIUM GAMBARAM.

ODE XLI.

Ne credat adulatori.

HOſtem crede tibi, qui te laudaverit ÆLI.
Eripiunt oculos,
Dum fucum faciunt laudes, & nocte ſerenum
Contumulant animum;
Ut quæ laudantem mentiri novimus, illa
Non ſine delicio
Credamus faciles. Illum quis dicat amicum,
Qui rapit ore diem,
Effoſſosque oculos denſas condemnat ad umbras?
Ille mihi ferus eſt
Hoſtis, qui mulcet coram. Cùm plurima laudet,
Plurima vituperat.
Imò nulla probat, reprobat ſed plurima. Namque
Ipſa vicem opprobrii
Laus præſentis habet. Malim grave vulnus aman-
Cor mihi confodere, (tis
Mollia quàm figi aſſentantis baſia. Sic ſe
Nobilitant vitia,
Quando laudantur. quin qui fallacibus addit
Oſcula blanditiis,
Laudibus amplexus; laudes amplexibus, imo
Corde venena fovet,
Crudelemque necem per dulcia baſia inhalat.
Vultus amicitiam
Dum ſimulat, plagâ in pectus ſecuriùs intrat;
Quoque placet, perimit.
Heu fuge crudeles, ÆLI, fuge frontis amicos.

Et variabilium (ſlat
Laudum mercatum! mulcent, dum blandior af-
Sors Zephyros; fugiunt,
Quando ſevera tonat: ſimulant ſervire, minantur;
Inſidiaſque ſtruunt:
In verbis compti, non factis. Detrahe larvam;
Sub facili ſpecie
Mentiti vultûs hoſtile abſconditur ulcus.
Heu. cave! diſſiliet
Fenellæ pomum, ſubitoque in pectora nervo
Spicula conjiciet. (nam,
Quod vultum oblectat. Meliùs tractabis Hyæ-
Quæ favet, ut noceat.
Laudant? fallaces Sirenum credito cantus:
Chromata dum geminant,
Seſeque inſinuant; tu non incautus Ulyſſes
Sollicitâ prohibe
Auditum cerâ, Sirenes nemo canentes
Audiit innocuus.

AD METELLUM BIDIUM.

ODE XLII.

Inter adverſa proſpera, inter proſpera adverſa cogitanda.

IUra pectoris veto
Faſceſque mentis ponere, & ſe
Vel metu, vel anxiis
Vorare curis; aut timere
Quando ſe ſeverior
Fortuna obarmat; aut tumere,
Quando ſe ſecundior

Sors

Sors exerit. Præcogitatus
Ictus ingruit minùs
Timendus. Illum fata vitant,
Qui procul minantium
Notavit iras, & procellas
Occupavit arduâ
Mente, & ſui ſecurus. Illos
Enecant pericula,
Quibus repentina ingruerunt.
Sic ubi dies mari
Urgente ſeſe nocte mergit,
Nemo perditum diem
Nimis dolet; ſed ſi axe ſummo
Pendulum, à meridie
Trahat repentè in occidentem
Heſperus; rigens pavor
Omnes tenebit. Nempè caſus
Hoc acutiùs ferit,
Profundiùsque vulnerat, quò
Cogitatus eſt minùs:
Et hoc minùs cor ſauciat, quò
Cogitatus eſt magis.
Sic ſæva quidquid ſors protervâ
Fronte comminabitur,
Ridebis, & vultu ſereno
Stabis ad pericula,
Et fulminantem provocabis.
Prævidere terminum,
Ars eſt timoribus medendi.
At ſecundioribus
Si rideat favoribus ſors,
Exitum vide. bona

Sors nulla longa eſt. mitiorem
Increpat ſeverior.
Secunda dum flat, inſecundam
Imminere cogites,
Sic nauta cùm Tethys quieſcit,
Dormiuntque Circii
Ventos futuros auguratur,
Vela nec mari explicat
Certus procellæ. Inter ſecurim
Regiamque purpuram.
Vix hora labitur. Per ipſos
Frontis aureæ jocos
Sors cruda torquet arma. Lethum
Hic ubi calent joci,
Nobis requirimus, parantque
Gaudium doloribus
Viam patentem. Si micante
Sortis aureo die
Diem inſerenum cogitemus,
Rurſùs æreum diem
Si enubilandum cogitemus;
Nec timoribus fera
Mentem fatigabit, nec aurêo
Sors amica lumine
Per blanda nos venena fallet.

ODE

ODE XLIII.

Se nec quærere ut populo placeat, nec horrere ſi diſpliceat.

NEc nimis plebi ſtudeo placere,
Nec nimis mœſtè fero diſplicere,
Nec favor prodeſt populi, ſiniſtra
Nec nocet ira.
Cuî placet virtus, ſtolidæ placere
Non poteſt plebi. Levis hæc Favonî
Improbis tantùm malè comparatur
Moribus aura.
Quæ probat vulgus, reprobo; probo, quæ
Improbat vulgus. Neque laude ducor
In pares mores; neque me probroſa
Scommata terrent.
Nec minor probro. neque laude major
Dicar: & probrum tolerare doctus,
Spernere & plauſum popularis auræ
Sedulus idem.
Sæpè ſub vulgi rubui cachinnis,
Sæpè ſub plauſu ſilui: nec inde
Concidi oppreſſus, neque me ſuperbâ
Mente levavi.
Vera laus non eſt, populi canentis
Voce vulgari, digitoque honeſto
Plebis oſtendi; meruiſſe laudem,
Maxima laus eſt.
Nec probrum ſemper populi eſt cachinnus.
Improbus ridet? probus eſſe poſſum;
Dum nihil perdo probitatis, ipſum
Laus mihi probrum eſt.

Improbet vulgus, probet; execretur,
Æſtimet; prenſet, premat; oſculetur,
Mordeat: probrum eſt meruiſſe probrum,
Gloria laudem.
Eſſe quod par eſt, avidus requiro
Eſſe; non qualis videar, laboro.
Fortis, enervis potuit videri;
Peſſimus, inſons.
Suſpici, externum eſt, populoque ludi.
Hoc meum eſt, veſtæ ſtuduiſſe laudi,
Aut probrum vulgi meruiſſe pravæ
Nomine vitæ.
Vilis eſt, qui ſe precio loquacis
Æſtimat plebis. Mihi magnus uni
Ære virtutis facili paratu
Eſſe laboro.

AD LÆLIUM PETRONIUM.

ODE XLIV.

Vitæ brevitatem glorioſis meritis extendendam eſſe.

PAucis vivere contigit;
Multis eſſe. Diu nemo tamen fuit.
Quæ nunc ebria fructibus
Autumnat, rigidis terra Decembribus
Hybernabit. Euntium
Annorum ſeriem ne numeraveris,
Nec, quod fluxit, habes; neque
Tempus, quod veniet, dicere tu tuum
PETRONI poteris. Dies

Hæc

Hæc, quam vivis, abit: quæ fluit horula,
Jam partem rapuit tibi:
Dum partem celeras vivere in alteram,
Nolenti effugit altera. (tur;
Momentum ergo tuum eſt. Hoc quoque labi-
Ni tu ſedulus occupes.
Hoc eſt, Euboïcum vivere pulverem?
Hoc eſt, ſæcula Neſtoris
Metiri, modicum vivere punctulum?
At longæva tamen potes
PETRONI Pylii vivere tempora,
Vive, ut non pereuntibus
Invadas meritis poſtera ſæcula,
Venturiſque nepotibus
Te tranſmitte. Senex hic moritur ſatis,
Quem cœlo nimium citò
Acceſſiſſe dolet civis; & aufugi
Anni cùm properant, ſuo
Mercatur ſtabilem nomine gloriam.

AD CAIUM LULLUM.

ODE XLV.

Tranquillitatem animi cupiditatum refrenatione comparari.

Parodia ad Horat. lib. 2. *od.* 16.

QUiſquis Ægæi maris inquietos
Navigat fluctus, fragilivé pinu
Adriam Typhis per iniqua tentat
Prælia venti:

Si

Si repentino fluat imbre cœlum,
Aut procelloſos agat unda montes,
Nave damnatâ placidæ precatur
Otia pacis.
Quiſquis aut Medos pharetrâ laceſſit,
Aut movet bello furioſa Thracum
Agmina, & forti renovat Gradivo
Prælia Achillis;
Otium tandem rogat; & ſolutus
Marte, tranquillas ſine nube luces
Optat, & parvo ſibi miles & Dux
Vivere tecto.
At nec ardentis precio metalli
Otium vænit, neque blandiori
Gangis allapſu, neque bracteati
Fluctibus Hermi.
Nulla vis auro eſt, ut iniquiores
Arceat mentis miſeræ tumultus,
Quæque diſcurrunt precioſa circum
Atria, curas.
Otium quivis ſibi gignit ipſe,
Qui poteſt parvo ſaturare avarum
Mentis ardorem, tenuique vitam
Ducere menſâ.
Vivitur parvo benè. qui lupinis
Arcet exhauſti ſtomachi latratus,
Quique non magnum tenui ſalino
Sigma coronat:
Huic leves ſomnos nec avarus aufert
Ambitus rerum, neque turpis auri
Pompa; nec mentem rotat inquieto
Turbine cura

Ergo

Ergo quid vanis ſequimur fugacem
Gloriam votis, ſpacioque parvo
Magna metamur? fugit incitati
Impetus ævi;
Nec moram incertæ tenuêre caſus
Labiles vitæ. Benè vixit ille,
Quiſquis æternum ſibi promerendo
Obligat ævum.
Quidvè fallaci jaculamur arcu
Vota trans Indum? quid inane rerum
Improbo tantùm licitamur æſtu,
LULLE, fluentum?
Alba quæ venit, fugit inter ipſas
Sors manus; & quam ſolido tenere
Ungue credebas, tenuiſſe plumâ
Serò dolebis.
Sortis augmento placidè fluentis
Se metus augent, liquidumque mentis
Gaudium exturbant, niveamque fœdant
Vulnere pacem.
Cura Fortunam ſequitur faventem.
Illa, quæ vultu facili renidet,
Splendet in curas, tacitoque pectus
Implicat aſtu.
Lætus in præſens animo, futura
Mitte ſectari. Nimium minante
Sorte torqueri, gravis inquieti eſt
Pectoris æſtus.
Læta ſors ridet? cave blandiente
Occupet riſu: cave flere, triſtis
Sortis ad fletum, ſtabilemque firma
Pectoris arcem.

Læta

Læta non fauſtis inimica miſcet:
Dejicit ſummos, levat & jacentes.
Sic nihil tutum, nihil eſt ab omni
Parte beatum.
Tu tamen mentis ſtabili tenore
Hanc & hanc ſpecta, & taciturnitate
Opprime urgentis, cohibe faventis
Munera, & arma.
Dives eſt; non cuî Phrygiæ laborant
Mille acus; non cuî riget invidendum
Liminis marmor, Siculævé flavent
Meſſis ariſtæ.
Dives eſt, qui nil cupit: huic deeſſe
Nil poteſt. Illi malé deſtinabit
Ira diſcrimen. miſer eſſe neſcit,
Qui nihil ambit.
Diſce præſenti rigidum parare
Aſperæ, lætæ, dubiæque ſorti
Pectus, ingenti tua fulminabis
Fata duello.

AD CHARIDEMVM.

ODE XLVI.

Natura paucis contenta eſt.

VOta brevi loro flectas CHARIDEME. quando
Augentur, auges mentis & dolores. (vota
Contenta eſt modico natura Quid eminente ſaxo
Ipſis maritos nubibus coloſſos
Accumulas, & ad obſequium Parios vocas labores?
Quid ampla terræ jugera æſtuante

Pectore

Pectore complexus, nunquam tua vota cōcatenas
 Potens tui ipſe? Maſſico laborant
Dolia mille tibi, & tamen uſque ſitis: gemitque
 Sub erudito exercitu ciborum; (ſigma
Dura fames tamen uſque latrat: patet aula ducta
 Circùm theatro,nec tamen ſat amplâ (vaſto
Æde habitas: Indus ſervit tibi gemmeo natatu,
 Urnâque Ganges aureâ; at coactas
Inter divitias miſer es. Tibi namque plura deſunt,
 Domòque plenâ pectus eſt inane.
Piſcaris pelagus, terram effodis, aëremque laſſas;
 Quæcunque poſcis, affluunt: nec inde
Vota famem poſſeſſa replent. Miſer es, nec eſſe
 Natura pauca poſtulat. Modeſtè (credis.
Si vivas, opulentus eris. Nihil affluens avarum
 Adimplet; at parum cui eſt, abundat
Contentus modico. Natura ſitire & eſurire
 Fugit: ſed an præterfluentis undæ,
An Læſtrigonio ſudet cyathus magis liquore,
 An rapa menſam tenuis, an Lucrini
Præda paret, curarum eſt ultima cura; nec remòta
 Vocat Venafri aut Phaſidos tributa.
Conſule naturam; nunquam, CHARIDEME, pau-
 Quereris; at ſi opinione vivas (perem te
Nunquam dives eris: tenui ſatiatur illa menſâ,
 Hæc inter orbis nundinas egena eſt,

AD ANNÆVM FERONIVM.

ODE XLVII.

Noſcere ſe ipſum ſumma eſt ſcientia.

QUid Stagyra juverit
 Exhauſta? vel quid Pœcilen Zenonis,
Socra-

Socratiſvé pulpita
 Laſſaſſe doctâ tuſſe, & abditarum
Uberem ſcientiam
 Bibiſſe rerum? Si ſcias recurſus
Siderum vagantium;
 Quo Luna fonte cornuum recondat
Splendidam ſuperbiam,
 Vel quo ſub antro ſiderum micantes
Filios puerpera
 Gignat; dies quâ luce ſe capillet;
Quo gradu Venus meet;
 Quot aſtra cœlum cenſeat; quot æther
Ditet influentiis
 Subjecta terræ regna; quo procellæ
Suſcitentur Æoli
 Partu; quis Euripum ſtato tenore
Ducat, & reſorbeat:
 Si Numen ipſum noveris; tamen te
Neſcias; ſcies nihil.
 Hoc nos, ſcientes plurima, imperitos
Arguit ſcientiæ,
 Quod in reductum proprii theatrum
Pectoris ſagaciùs
 Nunquam ſubimus. Quid ferat, metatque
Proximus; quid ebibat
 Petrilla, curioſiùs notamus
Quàm cuique fœda ſit
 Turpisque mens, non quærimus. FERONI hæc
Maxima eſt ſcientia;
 Intrare mentis ultimos receſſus;
Fabulam priùs ſibi
 Examinandam ſiſtere in theatro

Mentis,

Mentis, antequam DEO
Libranda detur. Omnium recenſet,
Et probat, vel improbat
Momenta Judex. Nemo diſplicere
Cùm velit DEO, decet
Sic ordinare fabulam, ut probetur.

AD MEDARDUM LÆVINUM.

ODE XLVIII.

Quòd humanus animus non ſatiatur creatis.

QUid pendant Arabum rura, quid horreis
Verratur Lybicis, quid Babylon metat,
Mitto quærere. me nec
Vectigalia Perſidis,
Nec Lydus ſatiat fluminis aureo
Decurrens ſtrepitu. Phaſidis alites,
Aut conchylia Bajis
Tu quære in precium famis:
Tu, quod terra colit, quod fluviis natat,
Quodque auras equitat. Scilicet iſta ſunt
Nutrimenta malorum,
Irritamina criminum.
Tu quod pampineâ colligit è Chio
Bacchus, nectareos in cyathos voca:
Debellata recurret
Poſt tot lautitias ſitis.
Ergo nil ſatis eſt? Tantaleam ſitim
Fruſtra ſubter aquis effugientibus,
Illuſamque fugaci
Pomo corrigimus famem?

Verum

Verum eſt, quod cecinit fabula: *Lumina*
Plus multò capiunt, quàm ſtomachus. Sitis
Uno pellitur hauſtu,
Uno dura fames cibo:
Poſt hauſtum tamen & fervidior ſitis,
Poſt eſcam redit & vividior fames.
Sic torquemur eodem,
Quo lautè fruimur bono.
Sic votis capimur, carpimur & ſimul;
Sic flammas alimus nos, quibus urimur;
Et quæ vulnera amamus,
Nobis pectora ſauciant.
Unum eſt, quod ſatis eſt, Numen amabile.
Hoc deſideriis omnibus ambio:
Solus, quo ſatiemur
Hic eſt; ſolus hic omnia eſt.

AD SEVERINVM LOLLIVM.

ODE XLIX.

Spem in adverſis eſſe retinendam.

NOn ſemper Auſtris vapulat Adria,
Tempeſtuoſis nec mare Caſpium
Semper procellis incitatum
In dubias hiat uſque valles.
Poſt efferatos in rabiem Notos
Criſpabit undæ terga Favonius,
Et temperato blandientes
Lina vehent Zephyri tepore.
Si ſæva LOLLI te maris urgeat
Procella, vires pectoris excita:
Non ſemper irato ferocit

Hippo-

Hippotades Boreasque bello.
Sperare rebus prociduis decet
Finem malorum, principium boni.
Infeſta ſors ſemen bonorum eſt,
Proſperior ſoboles ſiniſtræ eſt.
Quamvis ſolutâ diſſiliat ratis
Compage, quamvis torta voragine
Mergat Charybdis, Syrtibusque
In mediis ratis ingemiſcat;
Spes firma velis ſuggeret Æolos,
Undasque puppi: quod juvet, invenit:
Dum cuncta deplorata credis,
E medio natat illa fluctu.
Vulgi eſt; ſiniſtrâ cùm cadit aleâ
Votum; vel irâ, vel lachrymis malo
Captare lenimen. nec ira,
Nec lachrymæ medicamen addunt.
Labatur inter vulnera ſaucius
Miles; reſumit robur, & ultimâ
Irâ recrudeſcit, novoque
Caſtra petit violentus æſtu.
Quæcunque mutet ſors inamœnior,
Oſtrum lacernis, ſceptra ligonibus,
Fletuque plauſus: at tenacem
Non poterit tibi ſpem necare.
Ne cede telis. eſt ſuperabile
Malum, quod angit. Fulmine ſi ſemel
Nubes flagellat, num omnis irâ
Fulmineâ quatit aſtra nubes?
Id, quod moleſtat, vulneris eſt metus,
Non vulnus ipſum: at ſæpè periculo
Formido major delicatos

Ante

Ante malum graviùs fatigat.
Sic dum procellas volvit in æquore
Navi minaces Circius, & polo
Inſultat undis, obruendam
Mente times trepidâ carinam.
At dum propinquat, ſubjicit arduos
Navi tumores, & famulo levat
In alta dorſo; & quam timebas,
Illa rati famulatur unda.
O paſſe LOLLI plurima; non ſubit
Tranſiſſe caſus ſæpiùs? & tamen
Deprenſa navis jam parato
Eminuit tumulo ſuperſtes.
At ſi feroci ſors tamen impetu,
Quod liberalis contulit, auferat
Avara rursùm, fluctibusque
Mergat opes, niveumque nomen:
Rebus ſuperſtes ſpes morientibus
Nunquam fatiſcat. Scilicet omnia
Fortuna cùm tollit, ſuperſtes
Cuncta poteſt reparare virtus.

AD CELSUM.

ODE L.

Invitat ad deſerendam aulam.

QUò furor impellit? quò nos veſania CELSE
Præcipitat? miſerisque negatam
Sollicitamus opem fallaces ſortis ad aras?
Sævâ tempeſtate rotamur
Fluctibus abrepta, ſcopulisque allidimur; & nos
In

In placido portu eſſe putamus.
Volvimur incerti curarum turbine; nosque
Tranquillâ gaudere quiete
Credimus,atque ipſis blandimur fluctibus. Undis
Fidimus, & per mille labores
Funera mercamur, damnati ad funera pridem.
An tantum ſors improba poſſit,
Fingat ut arbitrio mea fata, viceſque gubernet:
Et permiſceat infima ſummis?
Scilicet illa ducum tectis dominatur, & alto
Sceptra ſibi faſtu arrogat aulæ.
Illum ſidereis imponit turribus, iſtum
Ejectum ſub Tartara damnat.
Hunc premit, hunc effert: hunc portat, proterit illum:
Hunc ignotum laudis amore
Delinit; æternis animi hunc angoribus urget.
Quemlibet aut gravat, aut levat, & ſe
Vel vultu matrem, vel ſe exhibet ipſa tyrannam.
Si quem lumine fortè ſecundo
Viderit, ingentes afflat ſub pectora curas,
Tortoremque ſui facit ipſum.
Dum vigilant ſtellæ, vigilat, ſi fortè corona
Incubet, aut latus ambiat oſtrum.
Dum cœlum Phœbus redivivo illuminat igne;
Quot radiis, totidem ignibus ipſe
Vritur, & nondum frontem diadema coronat,
Et nondum lateri affluit oſtrum.
Sic dum ſollicitis captatur purpura votis,
Se quærentem purpura ludit.
Dumque moras nectit, mors inſtat; & ante ruborem

Muricis, urget funeris atror.
Siccine ſervitiis aulæ juravimus? ergo
Libertatem perdimus aurêo
Vincti colla jugo? ſatis eſt: diſrumpe catenas
Mecum CELSE, & pectore Numen
Indue: liberior cœli nos provocat aura,
Ut tibi tu vivas, ego vivam
Ipſe mihi. Vixi: ſed non mihi: tu quoque CELSE
Non tibi. Viximus hactenus aulæ,
Et precium toties licitati vile laborum
Perdidimus pulchræ lucra vitæ.
Nunc melior fluit aura: veni: illâ pace fruemur
Quam nobis fundabimus ipſi.

AD LUCIUM DYMUM.

ODE LI.

Quòd humanus animus ſolo DEO *ſatietur.*

FRuſtra nos Scythicæ Phaſidis arduas
Veſtigamus aves, & legimus procul
Aut conchylia Bajis,
Aut convivia ſaltibus
Marſis? Quidquid habet pontus, & ætheris
Et terræ gremium, & flumina, & æquora
Nutrimenta malorum
Sunt, non lætitiæ ſeges,
Non mentis ſaties. Quid juvat aureum
Pactoli obſequium? quid juvat ambulans
Per veſtibula Erythra, aut
Hermus per laquearia?
Quid nos vota juvant Mœonii Ducis,

Ut quidquid cupidæ contigerint manus,
Venas induat auri;
Concham formet in auream
Se vitri cyathus, duret in auream
Se Bacchus glaciem, ſigmataque aureo
Obſignata rigore
Intractabile Tantalo
Fomentum exhibeant: ſi ſtomacho famem
Nunquam ſubmoveas, ſi ſitis ignibus
Urat viſcera major,
Ne ſeſe exſatiet calor
Depaſcens animam? Si tibi vel Thetis
Impendat famulas prompta cupedias
Aër obſequioſâ in
Menſas alite defluat:
Vel Crete cyathum nectare repleat,
Et permixta epulis Maſſica ferveant:
Vel ſe ſponte ſuperbis
Aurum poſtibus illinat,
Et per Mydonii pariêtis ambitum
Servus gemmifluo Lydus inambulet
Amne, & tecta adamantum
Claris ignibus ardeant;
Nunquam non ſities plura. Cupidinem
Incendes magis his; non perimes, Dyme.
Hoc plus æſtuat ignis,
Quo plus Palladis aggeris;
Dum mentem cruciat, quidquid abeſt. Miſer,
Adſint plura licet, ſemper eris Dyme;
Et torquebere eodem
Per faſtidia, quo te
Fauſtum credideras. Altiùs, altiùs

Tollenda eſt animi penna, perennium
Quà ſe caſtra bonorum
Pandunt, & riguâ poli
Manant ambroſiâ. Hic terminus exili,
Hic finis ſcelerum figitur aureis
Stellarum ignibus; hic ſe
Veri luminis ambitus,
Et ſolum ſatians copia gloriæ!
Et mores nivei, & candida ſæcula
Nunquam deficientis
Se volvunt opulentiæ.
Huc ſeſe ambitio, non ſatiabilis
Humanis, referat. Quod tibi ſit ſatis,
Unus conferet is, qui
Cunctis eſt ſatis, & ſibi.

ODE LII.

Se paupertatem Religioſam præ divitiis amplecti.

ODi tumentis pergama Mempheos,
Et mille avitæ gentis imagines,
Gazas Phraatæ, aurum Phalanti,
Regna Mydæ, ſoliumque Cræſi,
Ultro canendi pauperiem arbitram,
Magiſtram habendi pauperiem ſequar
Juratus, & pronam indigendi
Conſilio ſinuabo mentem.
Non, ſi magiſtro ſollicitudinum
Auro carebo, fata ſuperſtitem
Famæ negabunt, immemorque
Poſteritas mea facta condet.
Quin, nota Divis pauperies coli,

Inju-

Injurioſis nubibus eximet,
Et glorioſum trita quondam
Regna ſuper ſtatuet triumphum.
Valete jam nunc Mempheos atria,
Potentiorum jura penatium
Valete; congeſtoque in auro
Aſſyriæ Tyriæque merces
Valete. Dives paupere ſub DEO
Nec eſſe poſſum, nec volo. Plurima
Si mî negentur, non egebo:
Nempè dabunt meliora Divi.

ODE LIII.

Se Religioſæ Caſtitati devovet.

CUſtos pectoris integri,
Intactæque nivis pervigil arbiter,
Curas connubialium
Legum, veſtibulo pectoris arceo,
Ex quo non violabili
Nodo caſtus Amor me ſibi vendicat.
Non me ſeditionibus
Vertet cœcus amor; quamlibet æreos
Expugnaverit Hectoras,
Heroosque animos, ſive Agamemnonis;
Seu victoris Achillei
Juri ſubdiderit Cypridis, & face
Regum corda cremaverit.
Nimirum (faveant ſic mihi Cœlites)
Forti fortior Hercule,
Et durabilior Neritio Duce,
Nec poma Heſperidum legam,

Nec cordis tribuam jura canentium
Sirenum modulis. Procul,
Quidquid Cyprin olet, quidquid amabili
Guſtu irritat ineptias ;
Quidquid membra fovet ; collis Hymettii
Irritamina narium,
Merces Aſſyriæ ; mollia vellera
Serum, copia Cœcubi ;
Et menſa Antonii, menſa Halyatticis
Emollita cupediis.
Et mollis juvenum turba, licentiæ
Venatrix, ſocii leves,
Ferventeſque joci, ac deſidis otium
Horæ. Jam mihi ſervient
Mordendo rigidi tergori aculei,
Horrenſque aſperioribus
Setis excubitor pectoris integri
Thorax, ſuppoſitus lapis
Laſſato capiti, durities thori,
Et ſomnus brevis, & labor
Longus, nec gravibus menſa paratibus
Umquam plauſibilis ; licet
Faux jejuna gemat. Sic ego victima-
-Impuri tela Cupidinis-
Non tingam, & Paphiam fallere providus
Evitabo ferociam.
O præſes nivei candida pectoris,
Sancti fœderis arbitra,
Florentiſque animi gratia, Caſtitas,
Me clauſum procul abditas
In tecti latebras ſuſcipe ſervulum.
Hic Virgo, hic, ubi liliis

Can-

Candent templa tuis, hoſtia procidam.
Hic quidquid ſupereſt mei,
Et caſti ſpolium corporis immolo.

ODE LIV.

Obedientia Religioſa ſe dedicat.

IN contumaci pectore legibus
IGNATIANIS nitimur obſequi,
Pronumque curvare imperanti
Arbitrium, famulamque mentem.
Seu nos tepentes ſanguine Memnonas,
Seu Boſphoranæ Syrtis inhoſpita
Subire mandet, barbarumque
Japonici penetrale mundi:
Periculoſæ per freta Tethyos
Parere virtus prompta ſub Indicis
Aſtris gementes, & repoſtas
Memnonidûm penetrabit oras.
Non fulminantis torva licentia
Terrebit orbis, non vagus æquore
Terror procellarum, aut tyrannis
Heſperiæ ſuperabit undæ.
Quin arrogatâ morte adamantini
Superbientes ingenii placet
Fregiſſe vires, & protervos
Arbitrii poſuiſſe faſces.
Inſultet udis Adria montibus,
Furorvé Eous, vel mare Thracium,
Omnemque ventorum duella
Oceanum lacerent procellis:
LOIOLA mandas? diſſociabilem

Calcabo pontum, & ſeditionibus
Commiſſus undæ, ad littus Indi
In fragili tabula enatabo.
Nil eſt volenti difficile, arduum
Nil eſt amanti. Plus nimio cadit,
Qui plus ſibi fidit, ſuisque
Conſiliis nimiùm laborat.
Parere juſſis; libera & arbitrî
Conſulta dictis alterius dare,
Hoc eſt decennali ſolutum
Curâ animum ſapienter altæ
Aptare paci. Subdere proniùs
ſeſe imperantum legibus; arduum eſt
Regnum paciſci cordis, atque
Sceptra ſuæ retinere mentis.
Hac arte ſervam pectoris indolem
IGNATIANIS legibus opprimam:
Hac arte, quondam proſtituta
Regna meæ reparabo mentis.

AD MARCUM LENNUM.

ODE IV.

Nobilitas literis ornatur.

EST aliquid, veteri deduci à ſanguine MARCE,
Statuasque mille poſtibus
Fumoſas numerare Patrum, cenſuque ſuperbo
Avos videre nobiles.
Eſt aliquid, defixa Cedris ſpectare trophæa,
Victoriasque ſtemmatis,
Bellaque non humili Mavortis geſta furore,
Capitoliique Laureas.

Sed

Sed nihil eſt ſanguis, Patrum nihil ordine longam
Propaginem deducere,
Fixa trophæa nihil, nihil eſt victoria Martis,
Et mille frontis laureæ:
Nupta ſimul niſi Diva ornet Sapientia ſtemma,
Et Martiali laureæ
Palladius jungatur honor. Quàm ſtemma decorum eſt,
Tam turpis ignorantia eſt.
Stemma dies eſt, eſt fœda ignorantia nubes;
Quod pingit ille, hæc inficit.
Eſt corpus ſanguis, Sapientia ſpiritus. iſtum
Si dempſeris, cadaver eſt.
Nobilis eſt arbor ſanguis; Sapientia fructus:
Hunc tolle, & arbor truncus eſt.
Eſt ſanguis cœlum, cœlo Sapientia Sol eſt:
Sine Sole nox eſt horrida.
Eſt ſanguis Pœſtum, Pœſto Sapientia flos eſt:
Sine flore Pœſtum eſt vaſtitas.
Eſt ſanguis regnum, regno eſt Sapientia Princeps:
Si deſit hic, confuſio eſt.
MARCE, diem tibi ſtemma dedit; Sapientia nubes
Abſumpſit ignorantiæ.
Sanguine corpus habes; animam Sapientia donat;
Es arbor, at cum fructibus:
Es cœlum cum Sole ſuo, cum floribus hortus;
Regnumque, ſed cum Principe.
Quidquid habet Stoa, quidquid habet grandæva Stagyra,
Vel porticus, vel Pœcile;
Quidquid habent latices Heliconis, quidquid Apollo,
Et ore Suada melleo,
Libraque Juſtitiæ, legumque perita palæſtra,
Regina quidquid condidit

Theiologia ſinu. Verbo, Sapientia MARCE es;
Natalium ſplendoribus
Palladios addis: qui te videt, hic videt omnis
Sapientiæ compendium.

AD FERDINANDUM III. ROM. IMPERATOREM.

ODE LVI.

Ejus clementia commendatur.

MItis dextera Cæſarem,
Innubisque animi candor, & aureæ
Frontis pulchra ſerenitas
Commendat populis. Qui nimiùm manu
Sævâ per jugulos furit,
Non vult regna diu flectere. Non benè
Clavus ducitur Imperî
Funeſtante manu. funera civium
Non ſervant patriam benè.
Qui vis ſceptra diu flectere; ſic rege
Ut te civis amet. Duæ
Leges officij ſunt; amor, & timor.
Sed primas amor obtinet,
Poſtremasque timor. Sic benè temperas
FERNANDE Imperium. Sibi
Debet, qui periit. Vivere, CÆSARE
Te, quivis potuit, ſuis
Probris ſi potuit ponere limitem.
Senſit condita Dædalo,
Quæ ſe ſidereis ambitioſior
Immiſcet Capitoliis,

Huma-

Humanis oculis pulchrior aſpici;
Sed quæ debita fulmini
Martis, debuerat victima ſanguinem
Effudiſſe, Ratis-bona
Innubes animos, candida pectora
Vernæ numine Chloridos,
Et mitis Zephyri nube calentia.
Senſit pulchra Moguntia,
Senſerunt timidi Wormatiæ lares,
Totumque Imperium manum
Clementem coluit. Si tibi Martiâ
Deſævire licentiâ-
-Arriſiſſet, poteras ſtrata cadavera
Calcare, & tumidas dare
Urbes in cinerem: ſed placuit magis
Frænum ponere acinaci,
Victricemque manum ſanguinis inſciam
Miſcere officio patris,
Et mutare piis prælia riſibus.
Hoc eſt elogium, DEI
Affine elogiis, promeritos mori
Conſervare potentiâ,
Nec quantum valet in funera civium,
Tantum velle; Favonios
Acris compoſitâ nube ſupercilî
Indulgere ſuis; manum
Arcere à gladii fulmine; publica
Ni res fulmina poſtulet.
Iraſci levis eſt pectoris. Indoles
Rarò magnanimæ furunt.
Sic FERNANDE tuis civibus imperas,
Ut flectas animos ſimul.

Hoc ſceptrum titulo Cæſareum æſtimas
Quod prodeſſe tuis queas;
Non quod per jugulos ducere acinacem.
Vis regnare beatiùs?
Clementis titulum Cæſaris obtine.

AD HENRICUM SERENUM.

ODE LVII.

Temporis eſſe habendam rationem.

SERENE, avaram temporis applica
Mentem futuris: nec tamen otio
Præſentis ætatis tributum
In medio Zephyri jocantis
Abſume luſu. Temporis æſtima
Fugam volantis. Non reparabile eſt,
Quod evolutum eſt: quod futurum,
Eſt dubium: breve *nunc* meantis
Eſt fluxus horæ. Iam incipe vivere
Tibi, priuſquam vivere deſinas.
Quid hactenus vixiſſe prodeſt,
Vita prior fugitiva nullo
Si fructu abivit? Sæpè quidem diu
Vixiſſe multis contigit, at parum
Vixêre. Nimirum nec anni,
Nec capitis nivei ſenectus
Diûturna vitæ tempora comprobant.
Honeſta res eſt vivere. Quilibet
Vixiſſe tantum judicatur,
Quantum operum meritique fecit.
SERENE cura vivere, dum potes;

Quæ-

Quæſtumque cenſe ſingula labilis
Momenta vitæ. Sera vita eſt
Craſtina ; vive hodie SERENE.

Ad Sacri Romani Imperii

PRINCIPES.

ODE LVIII.

Finem bellorum, & conſtantem pacem optat.

QUid indecoro pulvere ſordida
Ariſta Martis ferrea ſæcula
Mundo recudit? quid cruoris
Diluvium minitatur orbi?
Quid umbo, cœli Solibus æmulus,
Læveſque clamant funera caſſides?
Quid ære bella, & bella ferro,
Bella manu meditatur orbis?
Formidoloſi frangite tympana
Tubaſque Martis, grando volantium
Exul ſagittarum quietas
Reſtituat ſine nube luces.
Exulceratum ſiſtite, PRINCIPES,
A cœde ferrum; parcite civium,
Et liberorum, conjugumque
Funeribus viduare regna.
Pax laureatis vecta curulibus
Chariſtiorum tempora ritibus
Dicata duxit, & quietem
Auſtriacæ cecinêre alaudæ.
Pax, io! pax eſt. Ter reſonabilis
Reſpondet Echo; ter capita alpium

Pacem reclamant, terque pacem
Auſtriacæ recinunt alaudæ.

AD JESUM CRUCIFIXUM.

ODE LIX.

Petit eidem in cruce configi.

VRor vulnere Numinis,
Vror ſanguineis pectoris amnibus,
Et plagis laceri DEI,
Et per cæſa vagis membra cruoribus.
O crudæ facies trabis!
O fontis roſei vena! & amabiles
Dulcis ſanguinis alvei!
Cur me ſepoſitum fixa tenaciùs
Mentis vincula detinent
Carnis mancipium? nec licitum DEO eſt
Configi? Pudet, heu! pudet
Mergi deliciis, dum tibi tempora
Circùm dilaniantibus
Punguntur ſtimulis. Sic ego conſcius
Delicti, toties roſas
Dum decerpo, tuæ CHRISTE tyrannica
Fronti ſpina relinquitur.
Sic per delicias dum ruo noxiæ
Libertatis amantior,
Tu vinctus rigidâ figeris arbore
JESU, & ſupplicium meæ
Suffers innocuus grande licentiæ.
Nullum, CHRISTE, tibi vacat
Membrum ſupplicio. Sic mea crimina

Pen-

Penſas criminis innocens.
    Et necdum ſcelerum carbaſa contraho,
Quæ me per ſcopulos agunt,
    Involvuntque animam mille periculis?
Necdum prô pudor) ultimam
    Metam criminibus conſtituo meis
Infelix ſcelerum inſtitor?
    Accedo toties, & toties tuam
Juratus teneo crucem:
    Sed rurſus veterem reppeto ſemitam
Semper fœdifragus DEO.
    Nec me CHRISTE tamen rejicis: arbore
Palmas in rigidâ explicas,
    Amplexuque paras ſtringere perfidum.
Tende utramque manum DEUS,
    Ut prædam capias, quæ toties fugit,
Monſtrum, quod capias, ferum
    Nullum uſquam magis eſt: ſi merear tamen
Dextrâ non nocuâ capi,
    Pectus tot ſcelerum qui gero conſcium.
En rursùs venio. Hîc reus
    Imploro veniam. hîc ad crucis arborem,
Hîc faſtûs veteris tumor,
    Hîc mentis jaceat prava licentia,
Infelixque ſuperbia,
    Carnis deliciæ, telaque Cypridos,
Argentique ſitis. DEI
    Me nullus rigidâ avellet ab arbore.

ODE

ODE LX.

Author Poëſin valere jubet, ſeverioribus ſtudiis occupatus.

VAlete Muſæ. Jam mihi diſſona,
Non ſic, ut olim, barbitus obſtrepit;
Lyræque, confractæque buxi
Non ſolitis modulis loquuntur.
Hìc ſponte frango, quod reliquùm eſt lyræ,
Juratus hoſtis fontium, & entheæ
Contemptor undæ, quam Camœnis
Ad numeros Pataræus odæ
Phœbus propinat. Nolo, mihi caput
Laurus, coronet: nolo, perambulent
Frontem virores; nolo, mentem
Corripiat furor entheatus.
Jam ſat Thaliæ, jam ſat Apollini
Ætatis actum eſt. Quid mihi pauperes
Muſæ rependetis, labori
Quod juvenis maleſanus annos
Veſtro dicârim? Diximus Adriæ
Ad littus undæ, quà remeabili
Pulſata Tergeſte procellâ
Surgit obex clypeusque ponto,
IUSTUM peremptum diximus ad gravis
Muſæ cothurnos: inde TREBELLIUM
Togâque defunctum, ſagoque
Zagrabiæ dedimus theatro.
Pòſt fata MARÎ, & collachrymabilis
Sors ANDRONICI, & prælia TILLII,
Et victa MAGDEBURGUM, & ignes
Et cineres pereuntis urbis;

FELI-

Felicianus, quique comes fuit
Victoriarum Primus, in area
Viſus Labaco eſt. Tuque ſceptro
Auſtriacis dominata terris
Vienna Princeps, Xaverium meæ
Partum Camœnæ, tu Theodosii
Crudele Pomum; tu immerentis
Naufragium lachrymata Sosæ es.
Quin Auſtriorum lumina Principum
Subire juſſus, grande Bethuliæ
Fixi trophæum, cùm paventem
Suecus agrum, timidumque ferro
Turbaret Iſtrum. Favit amabilis
Thalia, quando Saxone Carolum
Magnum triumphato videndum
Cæſareis oculis paravi;
Cùm Ferdinandus filius, altera
Spes gentis orbis gloria, dexteram
Bohemiæ ſceptro, comamque
Pannoniæ ſociaſſet auro.
Exinde Phryxo Jasona vellere
Superbientem, præcipiti datum
Venâ laborantis diei
Magne tibi Leopolde fudi,
Cùm fulciendæ machina Belgiæ, &
Gallis futurus terror ab Auſtria
Accitus ingentes parares
Magnanimo ſuperare niſu
Calles viarum. Nec mihi defuit
Apollo dexter, cùm bona nuncia
Venêre pacis Oſnabrugâ:
Tunc facili mihi Muſa chordâ

Luſit

Luſit JOSEPHUM fratribus additum,
Quamvis teneret me gravioribus
 Jam tunc Magiſtri cogitatis
  Angelici labor implicatum.
Tunc & THEANDRI connubium, & PSYCHES
Cantavi amores; tunc THEODOSII
 Magni triumphos ſuſcitavi
  In tragicos numeros, Camœnâ
Non inſecundâ; cùm diademate
Septemviralis Concilii Patrum
 Nutu coronatus, paterni
  Tecta ſoli, triplicemque Cæſar
Subiret arcum, gratia, & Auſtriæ
Cor, FERDINANDUS. Sed breve gaudium
 Turbavit Orcheſtræ, & theatrum
  Mors celeri nece FERDINANDI
Obnubilavit. Frangite barbita,
Chelesque Muſæ; frangite pectines.
 Pudet theatri, quando acerbos
  Funeribus maleſana ludit
Mors in dolores. Rumpite tinnulas
Chordas Camœnæ. Quid mihi reddidit
 Mercedis Orcheſtræ paratus?
  Quid toties adamata ſcena?
Hoc nempè, cujus pœniteat diu,
Quin feſſ[illegible]ndem corda moleſtiis,
 Clamoribus, rixisque ſcenæ,
  Et ſtrepitu puerorum inani
Ad alta tollo? Jam Sapientia
Severior me detinet. abjice
 O Muſa plectrum; nec reſume,
  Sæpè licet prece flagiteris.

NICO-

NICOLAI AVANCINI
E SOCIETATE IESV.
LYRICORUM
LIBER QUARTUS.
AD PHOEBUM.
ODE I.

Auctor reſumit Poëſin, cùm Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo *Imperii auſpicia gratulaturus*, L. *Germanorum Cæſarum elogia nomine Univerſitatis Viennenſis, quà fuſâ, quâ vinctâ oratione ſcribere meditaretur: Inde ejuſdem honori Conſtantinum Magnum de Maxentio victorem theatro apparaturus.*

DA Phoebe carmen, Non merui, tua
Qui plectra fregi, & Pieriæ ſacros
Fontes Amymonæ, & Camœnas
Deſerui malefauſtus hoſtis
Ludentis Aſcræ: non merui tuas
Apollo lauros; dum malè Pegaſi
Fluenta dedignans bicollis
Stagna jugi, Clarioſque fontes
Valere juſſi. Tu tamen annue
In vota Apollò, labraque amyſtide
Perfunde ſacrâ, barbitumque
In faciles reſonare verſus
Concede rursùs. Quamlibet alveo
Deſueta Pindi vena lyræ vetet

Ser-

Sermone dextram, ac entheati
Deſtituant animum calores,
Expergefactis ad numeros modis
Tentabo magnæ fulcra Alemanniæ
Regesque, Cæſaresque, ad uſque
Magne tuum LEOPOLDE ſceptrum:
In quem potentûm Regia Cæſarum
Virtus meavit gloria CAROLI
MAGNI, calensque LUDOVICI
Relligio: pietas LOTHARI,
ARNULPHI amores, magnificentia
OTTONIS, HENRICI integritas, vigor
PRIMI RUDOLPHI, par vetandis
Naufragiis utriuſque mundi;
ALBERTI honores, inviolabilis
Pax FRIDERICI, Palladis otia
Curata MAXIMILIANO;
Arma procul dominata ponto
Et geſta terris prælia CAROLI,
Et FERDINANDI pectoris innocens
Gravisque majeſtas; AVIQUE
Magnanimus vigor, inquietæ
Sortis tyranno turbine celſior;
Zelusque PATRIS, gratia, lenitas,
Et liberalis dextra, & omnis
JUSTITIÆ ac PIETATIS aula:
Et quidquid uſquam Regia Cæſarum
Sceptra occupavit fulgure gloriæ,
Quidquid coronato perenne
Imperio decus arrogavit.
Huc PHOEBE verſus, quidquid & eloquî
Muſæ propinant. Non levis eſt labor,

Quem

Quem Diva majeſtas repoſcit,
Quem ſapiens Academus urget.
Exinde magni prælia Flavii
Pugnata Romæ ad mœnia; Tyberim
Maxentii undantem cruore,
Fuſa Deûm ſimulachra, culti
Delubra Christi prima Quiritium
Statuta templis; ſceptraque Numini
Dicata, deducam in theatrum
Cæſaribus placuiſſe avarum.
Huc Phoebe versûs, huc Senecæ mihi
Gravem cothurnum, & pondera grandium
Sententiarum. Qui laborat
Cæſaribus placuiſſe, toto
Niſi ebrietur fonte Aganippidum,
Nihil laborat. Lumina Principum
Sunt delicata. Quid moraris?
Da validum mihi Phoebe carmen.

Ad Auguſtiſſimum Recenter Electum
Romanorum Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE II.

Panegyris, & futuræ in Imperio felicitatis omen.

In te priorum poſthuma Cæſarum
Virtus recenti flumine defluit,
Auguſte Cæsar; quodque ſparſit
Per veteres bona Gratiarum
Fortuna Reges, fœnore non levi

In

In te coëgit, ſedula gloriæ
Tuæ laboratrix, diuque
Auſtriacæ ſtudioſa famæ.
In te capacis vividus ingenî
Efflammat ignis, grandibus indoles
Matura rebus, pectus audax,
Nec pavidum ſimulachra belli
Perrumpere armis; vaſta potentiæ
Vis ſuſtinendæ; CONSILIUM grave,
INDUSTRIA acris, mensque prudens,
Et ſapiens animi theatrum:
Natura fortis, caſibus altius
Robur ſiniſtris, mens popularibus
Major procellis, appetitus
Edomitus, patiensque legis
Furor, modeſti gratia luminis,
Suavisque vultûs ſcena, meridies
Frontis ſerenus, mclleique
Alloquii geniale nectar;
Ferocientis neſcia acinacis
Manus, fluentûm conſcia munerum,
Et ira clemens, & Paternæ
JUSTITIÆ ac PIETATIS ardor.
In te ſuperſtes Relligio Patrum,
Zelusque Avorum, curaque rituum
Solers tuendorum, ac honoris
Cœlituum ſtudioſa flamma.
Hinc quid futuri ſæcula temporis
Ventura ſperent, accipe. Claſſica
Oblita murmur conquieſcent,
Et tacitis inimicus armis
Stertet Gradivus, totque rebellium

Exer-

Exercitatus funeribus chalybs
Tandem fatigatus ruinis,
Pacis amans, grave fulmen iræ
Recondet ultro; perque Alemanniæ
Campos & Urbes ſe niveis aget
Pax alma bigis, fauſtitasque,
Cana fides, veterumque mores
Aureî parentum, & ſæcula melleis
Rivis ſequentur. Bella ſilentio
Sepulta Muſas recreabunt;
Seque Themis, procul acta terris,
Reponet orbi. Tunc & acinaces
Parcus cruorem ſpargere civicum,
Quidquid furoris temperati,
Quidquid habet generoſioris
Iræ & caloris, ſacrilego gregi
Impendet audax, hæreſis impetum
Fracturus, & mundi tyrannam
Fulmineo vetiturus ictu;
Quæ jam Paternis ſæpè ſecuribus
Afflicta, nondum combibit impiâ
Cervice mucronem ſupremum;
Et Latiis dare colla frenis
Fruſtra reluctans ſub pedibus gemit,
Terramque mordet, victima Tartaro
Tandem migratura, & probroſis
Funeribus Stygio datura
Pompam Tyranno. Si quid acinaci
Hinc reſtet iræ, lætus in ultimos
Sævire Thraces, Othomanni
Vulneribus reparaſſe vaſtum
Gaudebit orbem. Tunc Tibi Boſphorus

Sup-

Supplex trecentis claſſibus accidet,
Vultuque depreſſo ſtupebit,
Cæſareo licuiſſe tantum
Impunè ferro. Tunc quoque Cynthio
Dilecta pubes ibit in agmine
Per colla Pindi, Laureasque
Ingeniis meruiſſe avara,
Pulchro Stagyræ pulvere ſordida
Apollinari curret in orbitâ;
Doctamque laudem nundinata
Terget iners ſenium eruditæ
Antiquitati; & divitis ingenî
Undante venâ Numinis atria
Pulſabit, & ſolerte curâ
Sidereis tenebris ſepulti
Arcana Veri pignora deteget.
Tunc & ſeveræ legis amantior,
Tenaxque Juſti turba, pulchris
Ingenii fremet uſque rixis.
Quin & Machaon ſeſe Academica
Lauru decorus, fundet in atria;
Et frangere audax jura mortis
Pœoniæ melior magiſter
Tutò audietur, Sic mihi Cœlitum
Dixit Senatus; ſic Tua, Cæſarum
Auguſte CÆSAR, vis, & acris
Ingenii, geniique virtus
Dudum ſpopondit. Siſtite temporum
Soles avari, currere ſedulos
Annos morati, dum ſuas ſpes
Res faciat LEOPOLDUS Orbi.
Sic advovemus. Quiſquis amabili

Mo-

Momenta Regum Numine proſperas,
Sorteſque Regnorum, viceſque
Imperii moderaris; audi
Votum Tuorum! Prima Alemanniæ
Spes vivat Orbi! Vivat, & aureo
Fluxu laboratos reponat
Imperio Leopoldus annos.

Ad Invidos
AUSTRIACÆ GLORIÆ.
ODE III.

Auguſtiſſimæ Familiæ gloriam per ipſam exterorum invidiam creſcere.

PRô! quàm protervis ſeditionibus
Inceſtat aulas livor! Hic aureum
Famæ nitorem, gloriæque
Mite jubat, decimoque dignum
Nepote nomen nube volantium
Calumniarum fuſcat, & obvio
Atrore fœdat; nec ſerenum
Ire diem patitur coronæ,
Quam Martis artes quam medios cruor
Fuſus per hoſtes, vivaque pectoris
Magni cicatrix comparavit,
Vel precium ſapientioris
Emit laboris. Quod micat, obtegit;
Quod lucet, atrat; quod colitur, notat;
Quod ſurgit, obtundit, premitque,
Quod decuit caput eminere.
O turpe monſtrum Livor! eburneæ
Famæ ſepulchrum, nominis helluo,

O Vre-

Vredo ſplendoris, venenum
Lætitiæ, meritique funus.
Ringare laudum vipera, ſed tuo
Te dente rodes, exitium tui,
Et carnifex ipſe, & tyrannus,
Ipſe tuæ laniena vitæ.
Ringare. Sed ſi fortè LOTHARIUM.
Si mille Reges, milleque Cæſares
Telo peremiſti; terentur
AUSTRIACO tua colla curru.
Ringare honeſto: ſcilicet in tuum
Vulnus redibunt tela. Quod AUSTRIÆ
Moliris, inconſultus hoſtis,
Exitium, tibi machinaris.
Hoc interibis vulnere, quod paras.
Nulla eminentem Solis ad orbitam
Se tela jactant, nube nullâ
Invidiæ violantur aſtra.
Livoris irâ celſior AUSTRIA,
In Sole ſedem collocat. Obtege
Phœbi quadrigas, ſi invidente
AUSTRIACUM meditaris oſtrum
Tentare morſu. Quod violentiam
Minatur, infrà ſerpere ſe videt;
Conſtansque, livoris minaci
Ducit opes animumque ab æſtu.
Hac arte crevit gloria, qua AUSTRIAM
Livor momordit. Quò magis invides,
Plus laudis adfers. Invidere,
Eſt animi nota egentioris:
At ferre dentes invidiæ, nota eſt
Felicitatis. Livor in AUSTRIAM

Te-

Telum omne diſtringat; probabit
Grande decus, meritasque laudes.

AD PRINCIPES IMPERII.

ODE IV.

Auſtriacam gloriam clementiâ creſcere, omenque futura ſub IMPERATORE LEOPOLDO *felicitatis.*

VIvet ſuperſtes gloria Cæſarum,
Et fama victrix funereæ facis
Regum micabit, quos honeſtat
Alma quies, placidique Soles
Clementioris frontis; & aureæ
Serenitatis mellea gratia
Diffamat Orbi. Nam benignus
Oris honor, facilesque riſus
In ſubditorum pectora permeant,
Ligantque mentes. Nil magis elicit
Suorum amores, quàm ſuâvi
Imperio cicurare gentes.
Quin & Magiſtri dextera mitior
Infrenat Vrſos; & Tigrides gravem
Odêre vultum; ridibundi
Juſſa oculi capiunt Leones,
Exeſte Regnis nubila, fulmina,
Lethum, & furores, Eumenidum pares
Igni calores, vindicisque
Tela manus, rigidumque ferrum.
Rex efferati pectoris, impotens
Eſt latro Regni. qui ſibi, quod libet,
Licere credit, lachrymandám

Imperium trahet in ruinam.
Quem civis odit, non benè publicos
Sedabit æſtus: qui trepidantium
Amat timores ſubditorum,
Ipſe ſuos metuat furores.
Hac lege vivit Rex: timeat ſuos,
Si vult timeri. Rex amet; omnium
Felix amores comparabit:
Nec trepidas celerabit urbes
Munire vallis, jam ſatis unico
Amore tutus. Bellica fulmina
Perdunt furorem, dum miniſter
Servit amor, galeamque præſtat
Periclitanti. Sic ego, conſcius
Augur futuri temporis, ominor,
Regnante LUIDPOLDO videbit
Mite jubar placidumque ſceptrum
Germana tellus. Ille furoribus
Pacem Gelonis, ille Othomannico
Aſtro quietem comparabit:
Ille oleâ facilis ſecundæ
Tranquillitatis tempora digeret;
Et quod gemebat Marte ſub æreo,
Sævæque Bellonæ ſub æſtu
Imperium, meliore pacis
Ditabit auro. Sic ego; ſic boni
Vovemus omnes; ſic malè conſcius
Formidat hoſtis; ſic Quirites
Imperii, Proceresque ſperant.

Ad Auguſtiſſimum Rom. Imperatorem
LEOPOLDUM.
ODE V.
Imperium teneri induſtriâ.

Condit regna labor vigil:
  Idem regna tenet. Navigium æſtima
Curas mobilis Imperi;
  Quod contra fluvium nititur. Incitus
Nolentem rapit impetus;
  Ni remum moneas, ni valeas manu;
Urgenteſque laboribus
  Fluctus continuis ſubmoveas rate.
Undantes popularibus
  Motus diſſidiis, civica prælia,
Pugnanteſque domeſtico
  Inſultu populi, Marſque ferocior
Externâ rabie calens,
  Quantis Imperium ſeditionibus,
Quantis fluctibus impetunt!
  Non ſic Ambracii torva licentia
Inſultat pelagi; neque
  Tyrrheni rabies horrida Nerei,
Non Syrtis Siculi freti,
  Sævis omne latus cincta latratibus,
Aut ira Acrocerauniis
  Incumbens ſcopulis, cùm Boreæ obſtitit
Auſter, vel cùm Aquilonibus
  Emotum pelagus ſidera fervidis
Undæ diſſidiis premit.
  Unâ ſede ſedent ſollicitudines

Et Reges. Labor improbus
Ni curas reprimat, magnanimi opprimeat
Vires Herculis. Impares
Curis, ad ſolium ne ſtimulent ſua
Vota, aut pectoris urgeant
Se deſideriis. Ambitio inſolens
Eſt, id velle, quod opprimat.
Vim metire prius, quàm famulum caput
Submittas oneri. Cadis,
Si plus poſſe velis, quàm valeas. Caput
Erectum diademata,
Ingentesque humeros, ærea pectora,
Dextramque Herculeam petunt.
Hinc ſeſe Auſtriacis mentibus inſerunt,
Hinc LUÎDPOLDE tuis amant
Portari Imperia & Regna laboribus;
Cuî nomen LEO Regium,
Virtutemque LEO magnanimam dedit.
Tu non deſidis ingenî
CÆSAR, Tu patrio CONSILIO reges
Pacis gemmea tempora;
Tu Martis tumidi prælia dexterâ,
Atque INDUSTRIÂ aheneos
Perfringes cuneos. Hinc facili fluent
Auro ſæcula. Nam *labor*
Profert Imperium in ſæcula gemmea.

Ad

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM.

ODE VI.

Firmiſſimum Regum & Imperatorum munimentum eſſe amorem & fidem ſubditorum.

REgum purpureo ni ſolio accubet
Incorrupta fides; mancipium ſui
Rex eſt nobile ſervi;
Inter mille pericula
Nunquam non timidum. Quæ latus ambiunt
Haſtarum ſegetes, quæ caput obtegit
Obſervantia ferri,
Et Mavortis acinaces,
Et ſcuta, & galeæ, & militis agmina,
Congeſtæque virum nobilium manus,
Queîs præſtant famulatum,
His Regum diademata
Infeſtare queunt officiis, niſi
Cor Germana fides obſideat. Metus
Quamvis plurima poſſit,
Solus cuncta poteſt amor.
Præceptor rigidus ſervitii eſt timor.
Frangit, quod potuit flectere amor. Nero
Flammas ſpirat, & ignes,
Et Romæ excidium grave:
Molli Rex ſapiens imperio regit.
Non ſtant regna diu, cùm violentia
Sceptrum torquet, & enſe
Sævit per jugulos furor.
Nullum eſt nobilius regibus otium,

Quàm quod fundat amor, quod fabricat fides.
Hac arte AUSTRIA pollet:
Hac RUDOLPHUS amabilis,
Fundator generis tot diademata,
Tot Regum trabeas intulit AUSTRIÆ.
Hac & tu, LEOPOLDE,
Flectis pectora civium
Non invita regi. Vidit amabilem
Germanus genium; & lætior, hic mea,
Dixit, lora gubernet:
Illi pectora civium,
Et firmam manuum devoveo fidem.
Si quiſquam Imperium fraudibus impetat,
Aut armis LEOPOLDUM,
Noſtrum tranſadiget prius
Pectus, quàm feriat. Non ſuperabilis
Huic ſtabo clypeus. Sic tibi ſerviant
Affectus, LEOPOLDE,
Sic Germana fides canat!

Ad Auguſtiſſimum Rom. Imperatorem
LEOPOLDUM.
ODE VII.

Non vi & impetu, ſed ratione & prudentiâ imperandum.

NEc ſegnis ætas, nec nimiùm calens
Sit imperantis. Turpis inertia
Leges reſolvit: mentis æſtus
Imperium rapit in ruinam.
Urgenda dextra eſt deſidis imperî:
Fræno calentis pectoris impetus

Eſt

Eſt reprimendus. Temperatâ
Lege manus benè ſceptra flectit.
Solis quadrigas luminis arbitras,
Matres diei, nec benè diriget
Frigens ad inceſſum Bootes,
Nec Phaëthon nimis incitatus.
Uterque mundum non reparabili
Premet ruinâ. Finge, domabiles
Seni Bootæ obtemperare
Solis equos, nitidosque currus:
Quæ terra, vel quis pontus amabili
Fruetur eſcâ luminis aurei?
Nec ver, nec autumnus, nec æſtas
Per decies revoluta ſecla
Reviſet orbem. Quin malè conditi
Non terminandâ nocte latebimus,
Priuſque milleni nepotes
Funereo tumulo inferentur,
Quàm conſpicari gemmea Cynthii
Tributa detur. Finge iterùm rotas
Phœbi coruſcas inſolentis
Imperio Phaëthontis ire:
Quæ Tethys, aut quis Nereus ignibus
Non ebibetur; quæ ſola torridos
Solis calores ſuſtinebunt?
Quodvé nemus generabit umbras?
Et regna, & urbes ſcilicet improbis
Flammis peribunt; quique micat polus
Diſpunctus aſtrorum favillis,
In cinerem violentus ibit.
Vim temperatam dextera poſtulat,
Quæ ſceptra torquet. Non violentia,

Non æſtus irarum, impetuſvé,
Sed ratio moderatur orbem.
Hæc Auſtriorum gloria Principum eſt,
Valere multum, velle minus tamen;
Habere fulmen, nec rotare;
Et gladii cohibere flammas.
Spiras Avorum Numina, Maxime
LUIDPOLDE CÆSAR: CONSILIO gravis,
INDUSTRIÂ velox; utroque
Magnanimus, facilisque CÆSAR.
Hinc glorioſis ſe tibi Fauſtitas
Submittet ulnis: hinc Tibi ſæcula
Auro laborabunt ſorores
Tergeminæ, facilique longam
Fuſo quietem; ſive Propontidem
Ultor laceſſas, ſeu Mareotida
Sedare contendas, Scythæque
Edomitas reparare terras.

Ad Auguſtiſſimum Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE VIII.

Imperatorem & juſtum eſſe oportere, & ſapientem.

Hæc firmamina Cæſarum,
Regnorumque ſalus ſunt, SAPIENTIA, &
Conſtans Juſtitiæ tenor.
Argos Imperii credite Cæſares,
Qui binis oculis, ſuis
Regnis invigilant. Hinc ſolio edito,
Ut celſæ ſpeculæ, inſident;

Com-

Commiſſi ut populi proſpiciant bono;
Et quæ ſe eminus ingerunt,
Advertant furias ſolliciti, & metus,
Bellonæque pericula,
Et ſtructas tacito Marte tragœdias
Prævertant ſapientiâ.
Hinc torquent rutilum dexterâ acinacem,
Ut plectant ſcelerum reos,
Defendantque probos. Hæc Themidis nota (eſt,
Nulli parcere crimini,
Patronamque manum non nocuis dare.
Qui parcit nocuo, & ſcelus
Manſuetus tolerat, non nocuis nocet.
Unum impune ſcelus trahit
Ingentem ſeriem. Sic mala germina,
Ni radicitùs eruas,
Immenſi gremium marginis occupant.
Non eſt ſævitia, improbos
Dignis ſuppliciis plectere; ſed gravis
Hæc eſt ſævities, malis
Indulgere nefas. Qui medicâ manu
Scindit putrida vulnera,
Vel membrum reſecat, ne pereas; cave
Sævum dicere: ſævior
Eſt, qui grande manu vulnus amabili
Tentat, nec prohibet malum,
Sed ſolùm tenui diſſimulat cute
Sanaſſe, unde nocentior
Invadat ſanies, & cruciatibus
Vitam perpetuis agat.
Hæc eſt Auſtriadûm gloria CÆSARUM,
Sic mundum Sapientia,

Sic & Juſtitia flectere. Reſpice
Primos, ô LEOPOLDE, Avos,
Formas Imperii, Numina Cæſarum,
Exemplaria Principum,
Patresque Archiducum? queîs Sapientia,
Et ſemper ſtabilis Themis
Firmavit ſolium. Sæcula quot fluunt,
Ex quo ſemper amabili
Succeſſu ſoboles imperat AUSTRIA?
Nec detrectat adhuc tuis
Germanus, LEOPOLDE, imperiis regi.
Quin ut ſera nepotibus
Tradas ſceptra tuis, Imperium vovet.

Ad Sacri Romani Imperii PRINCIPES.

ODE IX.

Non oportere Imperatorem moliri bella, niſi pacis amore; idque præſtiturum AUGUSTISSIMUM IMPERATOREM LEOPOLDUM.

QUid juvat denſis glomerata turmis
Bella moliri, rigidumque Martem
Ferre per cædes populorum, & armis
Scindere regna?
Quid juvat Reges malè diſſidente
Claſſe collidi, tabulare mille
Navibus pontum, pelagóque grandem-
-Imponere Martem?
Bella ſi bellum parit, & ſequentis
Semen eſt primum, trahiturque longo

Or-

Ordine armorum furor, & profuſo
Sanguine creſcit?
Serviant lætæ tua bella paci,
Quiſquis Auguſto moderare nutu
Regna; tranquillæ famuletur omnis
Ira quieti.
Finis hic belli eſt, reparare pacem:
Non profanato vitiare ferro
Regna; non flammis agere in favillam
Mœnia mundi
Belluæ eſt. rictu calido minari,
Ire per cædes, jugulare fato
Mutuo cives, ſepelire totos
Stragibus agros.
Ah! ſatis ferri eſt, ſatis innocentis
Sanguinis fuſum. Cohibete Martis
Tela Germani, ſolidoque inite
Fœdere pacem.
Sic jubet CÆSAR LEOPOLDUS; ite,
Ite Germani, ſaturosque plagis
Mutuis tandem prohibete veſtris
Cædibus enſes.
Si tot annorum implacido quietem
Marte quæſiſtis; LEOPOLDUS armis
Ferias dicit, niveæque profert
Munera pacis.
Ille non lenti nimium furoris,
Nec nimis proni, moderatione
Impetum frænat, placidusque ferri
Otia donat.
Ille Germani violenta belli
Fulmina exoſus; ſimulachra, dixit,

Ponite armorum, nimioque rixas
Igne calentes.
Martis obliti, patriæque cædis
Candidos Soles, niveam quietem, &
Priſca Saturni revocemus ægro
Sæcula mundo.
Si tamen bellum vocet arma; civis
Patriam parcat violare ferro,
Sed Selymbrano metuendus Hebro
Ferveat æſtus.
Thracius noſtro meliùs premetur
Boſphorus ferro, aut Solymæus Hermon,
Bactraque, & multo calidæ cruore
Strimonis undæ.
Donec hoſtili reparatâ cæde
Fauſtitas pacem vehat, & parentum
Aurei mores precioſa in auro
Sæcula firment.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE X.

Non unâ virtute Imperatorem conſtitui, ſed totâ omnium collectione.

QUiſquis Cæſareis per populos nutibus imperat,
Privatum ſuperet. Non benè ſe vel trabeâ æſtimat,
Vel cultu lateris purpureo, vel diademate;
Non vaſtis populi ſervitiis, non opulentiâ,

Aut

Aut gentilitio ſtemmate; non laudibus inclytis
Majorum, aut clypeis. Hæc levis eſt gloria peſſimo
Quæ quandoque venit. Sanguine prodire Agamemnonis,
Aut Druſi, aut Curii & Scipiadûm vile poteſt caput
Therſitæ indecoris: Sidonio Tityrus indui
Oſtro, ac immeritis temporibus cedere gemmeæ
Majeſtatis opes. Obſequium nobile civium,
Denſatusque cliens, divitiæ Gangis & Indiæ,
Sunt ſortis dubiæ conditio. Gloria Cæſarum
Eſt virtus animi plurima. Qui pluribus imperat,
Hunc plus poſſe decet. Sufficiet ſingula cæteris
Virtus: non ſatis eſt Cæſaribus, ſi unica deficit.
Hunc & bella vocant, & dubii Martis acinaces
Bellonæque faces, & tumidi jurgia prælii;
Hunc Marte edomito Pax niveis vecta jugalibus,
Fas, & conſilium, & jura Rei-provida-publicæ
In curas rogitant. Si feritas acrior Urbium
Turres Marte quatit: ſi prohibet civibus otia,
Tranquilloſque dies, nec patitur currere gemmeis
Candorem cythiſis; hic opus eſt robore Martio,
Conſtantique animo; quem neque mors grandine plumbeâ
Invecta exanimet, nec volitans flamma præoccupet
Ægrotante metu; qui clypei more volantium
Telorum fremitus excipiat; non pavidus mori,
Si Fortuna ferat; vel jubeat publica civium
Regnorumque ſalus. Si facili lumine blandior
Fortuna irradiet, nec tragicis regna tumultibus
Tur-

Turbetur; dominos obtineat tunc moderatio
Frenos imperii. Cæſarei pectoris indoles
Hæc eſt, ut facilem ad difficilem par ſibi, & integer
Sortem conſpiciat. Munificâ munera ſeminet
Dextrâ per populos. Criminibus, ſi malè pertinax
Pectus conglacient, obviet inflexa ſeveritas
Et primo jugulet fonte ſcelus. Creſcit inutile
Germen, ſi timidum dextera damnatur ad otium,
Et ſtirpis metuit falce vel igne urere noxiam.
In cœlum pietas; hæc baſis eſt Imperii unica,
Firmamenque potens: in miſeros pectoris aurei
Propenſum ſtudium: in non nocuos impigra gratia,
Affectusque calens: in nocuos dextra ſeverior;
Hæc Regem faciunt. Unica virtus popularibus
Privatum nebulis eximit: at dempſeris unicam
Virtutem Imperio, jam vacua eſt verticis Infula.

Ad Auguſtiſſimum Imperatorem
LEOPOLDUM.
ODE XI.

Cæſarum laus ſumma eſt, cum civibus pacem habere, cum vitiis bellum.

ARchetypon regentûm
Cæſarum eſt Numen. Cui cœlum dedit
Gentibus, & verendam (imperare
Dexteram ſceptris oneravit, nitidumque cinxit
Frontis

Frontis ebur pyropis;
Numinis ritu regat orbem; placidâque pace
Civibus otiari
Donet; at bello generoſus vitium fatiget.
Hoc decet imperantem,
Ferias tandem dare ferro, & ſtudioſa amicæ
Arma rotare pacis:
Quæ fides, & fas populorum ſequitur,ſalusque
Et niveus parentum
Candor, & mores precioſi, riguâque venâ
Sæcula fauſtitatis.
Si tamen murmur grave belli lituis Gradivum
Concrepet, arma vertat,
Quà ſcelus ſurgit. Pietas huc monet elocare
Robur, ubi venenum
Crimen infundit. Vitioſos reſecare ramos,
Parcere fructuoſis,
Cultor hortorum ſolet;artus putridosMachaon
Enſe vel igne tollit:
Huc rotat miles ſua tela,unde malum minatur.
Huc bonus Imperator
Martis invicti decumanos agat apparatus,
Quà metuenda ſurgunt
Monſtra, Cocyti malè ab umbris generata;
Numinis execrandus,
Impii ritus, furor & vis animi impotentis
Sternere templa Divum
Pertinax, ſacras violare improbitate flammas,
Effigies protervo
Ungue Sanctorum lacerare, in cinerem ſolutas
Cœlituum tabellas
Spargere in ventos, diadema Imperii Quirini
Pre-

Perdere, barbarorum
More ſupremum Latii Flaminis arbitratum
Vertere faſtuosè. (potente
Multa monſtrorum generoſi AUSTRIADÆ
Edomuêre dextrâ: (ferrum
Multa ſed reſtant Tibi CÆSAR LEOPOLDE:
Hydra Tuum repoſcit.
Occupa his monſtris animoſum chalybem; &
Civibus elabora. (quietem
Cæſarum hæc laus eſt, populorum vitia edo-
Eſt aliquid, potentis (mare.
Imperî fines procul extra patriam movere,
Aut populos timore
Frangere externos, gravidoque agmine Martis
Strimonis innatare, (undas
Ire per cædes Scythicas, Threiciamque Lu-
Odryſios furores (nam, &
Subdere, & Lauros inimico eripere inviden-
Eſt aliquid, domare (das;
Nutibus mundum, & numeroſo dare jura
Prima tamen potentis (civi:
Cæſaris laus eſt, populorum vitia edomare.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XII.

Civium & animorum unione regna conſervantur.

Vnita virtus fortior eminet,
Diſperſa torpet. Non benè milites
Hoſtem

Hoſtem fatigant, in phalangem
Ni coëant, aciemque jungant.
Perire ſi vis, artubus abſeca
Artus, peribis: pectore brachia,
Pectusque cognato revelle
Collo, humeros humeris recide;
Adempta vis eſt. Diſtrahe corpora
Compacta, totum robur ademeris
Auguſta nec ſtabunt theatra;
Nec Pharias Obeliſcus audax
Subibit auras; nec Mareotico
Fuſas metallo Caria porticus
Tollet, nec æratas Canopus
Pyramides dabit inter aſtra
Levare frontem. Scilicet omnium
Ruina certa eſt, tollere vincula.
Nexusque membrorum ſecare.
Diſſidio periêre claſſes,
Et Regna, & Urbes. Tuque Alemannia,
Per diſſidentûm jurgia Principum
Diſcerpta, vix ſpiras, & inter
Tam varios lacerata fluctus,
Vetuſti honoris naufragium times.
Sed enatabis. Sic mihi Cœlites
Boni annuerunt, quando ſceptris
Auſtriacam LEOPOLDE dextram,
Frontem Coronæ, & purpureo latus
Dediſti honori. Tunc procul AUSTRIA
Virtus refulſit; quaque ſparſit
Fama tuum LEOPOLDE nomen,
Germana amores protinùs aureos
Corda induerunt. Hinc micat unio

Virtu-

Virtutis, & concors voluntas,
Et ſtabiles adamante ſenſus.
Unita virtus quid valeat, ſcient;
Olim ſubacti cornua Boſphori,
Cœlique deſpector Britannus,
Et Getici fera bella Martis.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XIII.

Conſilia Principum non eſſe evulganda.

NAturæ vitium eſt, abdita mentium,
Secretosque ſinus pandere. Maxima
Ars eſt, quæ ſcieris, pectore claudere,
Ne ad plures veniant. Pythagoram licet,
Privatus ſapiat: non ita Principes
Certant Harpocrati. In Principe lumina,
Et frons, & cilium, & nutus, & omnium
Membrorum articulus, geſtus, & actio
Oſtendunt animum; & lumine proditur,
Quod linguâ tegitur. Sollicitus rei
Quæſitor tacitæ frontis in area
Argumenta legit mentis, & abditos
Senſus enumerat. Quin taciturnitas
Prodit ſæpè animum. Hinc quod tot habet vias,
Et ſciri petitur, cautiùs occulat
Princeps conſilium. Dum tacito tenet
Momenta Imperii pectore, pondera
Majeſtatis habet: quod loquitur, loqui

Credun-

Creduntur tripodes; & reverentiam
Lucrantur tacitis ipſa ſilentia.
Sic undis fluvios qui tumulantibus
Fundum diſſimulant, vel veneratio
Vel formido colit: ſi pateat ſinus,
Aut terra emineat, bellua quælibet
Turbabit laticem. Sic Deus abditur
Cultum ſollicitat, quoque magis latet
Occluſus tenebris, hoc colitur magis.
Quæ non conſpicimus, ſuſpicimus magis.
Ignoret populus, ſcire quod obfuit.
Res fauſtè vehitur publica, conſili
Cùm momenta latent. Vis reverentiam
Luidpolde Imperii? Conſiliis, Numæ
Exemplo, Tacitam concilia Deam;
Et Conſum tacitis in tenebris cole.
Tecum cùm loqueris plurima, plurima
Celabis reliquos. Conſilium optimum,
Vanum eſt ſi pateat. Conſiliantibus
Hanc legem ſtatue: Arcana ſilentio
Condat Sigalion; nec prius eruat
Vis vocem labiis, quàm medio exprimat
Tortor corde animam. Auguſta ſilentia
Faſtis hiſtoriæ materiem dabunt.

Ad Auguſtiſſimam
DOMUM AUSTRIACAM.
ODE XIV.

In electione Auguſtiſſimum Romanorum IMPERATORIS LEOPOLDI *omen.*

O Regum, legumque parens Diva AUSTRIA,
Maxima progenies, (Cœli
Fœcunda Mater CÆSARUM,
Europæ columen, Cor mundi, gemma Tonantis,
Imperiique vigòr
Et unio Germaniæ;
Ingenti major famâ; quam ſuſpicit Indus,
Memnonidæque ſtupent,
Et regna Thules ultima:
O ſoboles dilecta DEO! cui purpura faſtôs
Exarat innumeros;
Cui Regias quàm plurimus
Per trabeas numeratur Avus: tu ſæva minantûm
Prælia Thyſſagetûm,
Threſſæque Lunæ cornua,
Dacorumque potens fregiſti inamabile robur.
Tu populis dominos
Ponis lupatos ultimis:
Tu ſpargis cum Sole manus, annique repoſtas
Imperioſa vias
Perrumpis, ac Atlanticum
Oceanum AUSTRIACIS cogis parere lupatis.
Invia nulla via eſt
Tui vigori roboris.

Vel

Vel pacem, vel bella feris; vel pace, vel armis
Sollicitas animos
Tuis tributa faſcibus
Pendere, & Auguſtos ſceptro inclinare tiaras.
Si qua tamen lateat
Ignota mundi ſemita,
Jam tuus exoritur domino LEOPOLDUS in
Cuî famulante manu (oſtro,
Gloria quadrigas provehit,
Ut ſubigat curru telluris colla mariſque
Prælia compoſitis
Victor ſerenet fluctibus.
Ille (poli ſecreta canam) glaciale Geloni
Marmor, & Hæmonias
Nives, profuſo ſanguine
Hoſtili, in mores coget migrare tepentes;
Occiduumque diem
Ortumque pace vinciet.

Ad Auguſtiſſimam

DOMUM AUSTRIACAM.

ODE XV.

In ſcelerato capite non ſtare ſolidum diadema; ſtare firmum in Auſtriaca Familia.

VErum eſt: Sacrilegum laurea verticem
Dedignata fugit; nec diademata
Stant ſecura ſceleſtâ
Magnæ frontis in areâ.
Virtus & ſolium indiſſociabili
Vivunt conjugio. Divide fœdera,

Virtu-

Virtutemque ſerenam
Majeſtatis amabili
Deturba ſolio! protinùs, omine
Infauſto, fugiunt verticis infulæ,
Et ſceptrum, laterisque
Seſe purpura ſurripit.
Nimirùm trepida eſt magna potentia;
Ni virtus ſtabili pondere degravet
Pulvinaria Regum, &
Irâ turbinis eximat.
At felix placidis AUSTRIA faſcibus,
Virtutis ſoboles, progenies poli,
Fas juſtumque ſecuta
Ad confinia ſiderum!
Te non ambitio, non trabeæ impotens
Ardor ſollicitis ignibus impulit
Ad tractanda lupata,
Regnorumque ferociam
Flectendam arbitrio. Tu populos regis,
Sed tecum ſtudiis aucta recentibus
Virtus fræna gubernat.
Tu clemente modeſtiâ
Sciſſos concilias fœdere Principes;
Et Martis placido mitis acinace
Solùm parta tueri
Majorum patrimonia
Contenta, auſpiciis Numinis occupas
Auguſta Imperii ſceptra. Quid augurer?
Vera effatus Apollo
Aurem jam mihi vellicat.
Quando, inquit, meritis turgida patriis,
Non ceſſas paribus creſcere niſibus;

Non

Non ceſſat tibi ſacras
Cœlum nectere laureas.
Ut crimen fugiunt, ſic diademata
Virtutem ſitiunt. Cedere ab AUSTRIA
Neſcit gloria, dum ſe
Virtuti inſerit AUSTRIA.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XVI.

Nullâ arte Principum gloriam propagari felicius, quàm cultu Religionis, & literarum culturâ.

AUguſta clari gloria verticis
Eſt eſca Regum. Fervida Principum
Fames, ſitisque attenta famæ
Non modicâ ſatiatur aurâ.
Ut glorioſi fulgura nominis
In poſterorum ſæcula tranſvehant,
Et vivat ſemper laureatas
Fama tubas animet, laborant.
At non eâdem quæritur orbitâ
Perenne nomen. Semita ſanguinis
Placet Neroni: liberalis
Dextra Tito: facilisque Nervæ:
In ſubditorum fœnora lenitas:
Superba Cyro Pergama, & aureis
Ædes coronatæ coloſſis
Et Tyrii monumenta cœli.
Quam quiſque amavit, perſequitur viam

Lucrandi honoris. Tempora cæteri
Longæva fallunt, & metallo
In ſenium ſua facta ducunt:
Sed non perennant. Iſta rapacibus
Sunt præda fatis, & lachrymabili,
Urgentur urnâ, dum ruinam
Semper edax minitatur hora.
Æternitati Principis optimè
Sudat Minerva, & vi Sapientiæ
Muſæ laborantes, gravique
Ingenio ſtimulata penna.
Quanto ſequentis nomina ſæculi,
Seneſque faſtos, Maxime Cæſarum,
Olim fatigabis labore,
Sive tuo ſuperata Marte
Narrentur olim Bactra, vel Artace
Subacta bello; ſeu magis aureæ
Tranquillitatis ſub lupato
Compoſitus recinatur orbis?
Tibi Poëtæ Pierios agent
In plectra ludos; eloquio tibi
Sudabit Orator; ſequenti
Hiſtoricus memorabit ævo
Illata Dacis bella; Geometra
Deſcribet orbem, quo tibi millies
Laurus vireſcat, quo trophæa
Fama metat ſtudioſa laudis.
Tibi Matheſis grandia maximis
Dimetietur ſidera lineis,
Nomenque deſcribet ſerenis
Grande tuum, LEOPOLDE, ſtellis.
Sic in futuri ſæcula temporis

Siſtêre

Siſtêre præſens, nec fugientibus
Annis fatigari, nec ulla
Vi poteris LEOPOLDE capi.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM.

ODE XVII.

Ejus clementia & benignitas commendatur.

TEmperas ferri, LEOPOLDE, flammas,
Et manu fulmen minitare parcâ.
Cæſarum hæc laus eſt, graviora poſſe? at
Velle minora.
Sortis Auguſtæ proprium eſt, nocere
Nolle, cùm poſſis; pelagusque fervens
Mente tranquillâ, placidoque frontis
Sole tueri.
Sic polo Titan medio ſerenos
Exerens vultus, nihil evolantis
Tractibus fumi, nihil obſtinatâ
Nube movetur.
Sic DEUS nullâ jaculantis irâ
Mobilis, ridet petulante dextras
Impete armari, vacuoque jactu
Tela redire.
Te parem Soli, ſimilemque magno
Numini fingis, LEOPOLDE: ſupra
Horrida incedis, poſitasque ſubter
Deſpicis iras:
Sanguini indulges facilis, benignis

Legibus frenas populos, nec oris
Nubilas riſum, ciliivé pulchram
Irida condis.
Si jubes, gaudet tuus imperanti
Obſequi Civis: neque ſervientem
Aggravas durus; neque negligenti
Sævior inſtas.
Auſtrium ſervas, LEOPOLDE, callem:
Dum jubes, addis ſtimulum obſequendi
Lege non durâ, placidisque ſegnes
Nutibus urges.
Neminem crudus nimiùm fatigas,
Neminem mollis nimiùm remittis:
Patris exemplo, Pius Imperator,
Omnibus idem es.
Hic fuit ſemper tenor Auſtriorum,
Sceptra clementi retinere dextrâ, &
Jure cùm poſſis nocuiſſe, nulli
Velle nocere.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XVIII.

Imperium Auſtriacum non ſubjacere Fortunæ, quia virtute firmatur.

ERrat, favorem quiſquis amabilis
Sortis perennem fingit, & aureos
Diesque, gemmatasque lunas,
Et placidum ſine Marte regnum.

Fortuna,

Fortuna, pulchris invida laudibus,
Amica fraudis, currere ſæcula
Auro laborata, & recuſos
In precium vetat ire menſes.
Si quando laurum temporibus dedit,
Non hæc ſecundæ eſt pronuba laureæ:
Nec antecedentem triumphum
Sors eadem cumulat ſequente.
Quin ſi jocantis gratia Nerei
Auræ quietis non ſine riſibus
Se criſpat, & tranquilla in undis
Aſtra refert, hilaremque Solem;
Tempeſtuoſæ tunc magis admone
Temet procellæ, nec facili maris
Tranquillitati crede pinum.
Iſta quies meditatur æſtum.
Adverſa ſors eſt aſpera proſperæ,
Severa blandæ. Et (quod metuas magis)
Plerumque lauros, & ſerenum
Aggreditur diadema frontis.
Jurata nulli, magna pericula
Miſcet favori. Nempè ubi deficit
Virtus, coronarum ſerenum
Horror agit, trepidusque pallor.
Non Auſtriorum ſic diademata,
Et jam quaternis purpura ſæculis
Producta nutat; non rotanda
Sceptra tuâ LEOPOLDE dextrâ.
Cum Rege quando dividit Imperî
Illuſtre Virtus nomen, & inclitos
Ornat tiaras, nil adepti
Juris habet, inimica ſemper

Fortuna ſceptris. Inviolabili
Neceſſitati eſt cætera funeris
Subjecta majeſtas; coronam
Ni ſolidet, trabeamque virtus.
At quæ coronat pulchra fidelibus
Te vitta gemmis, dum ſocio micat
Splendore Virtutis, quieta
Sceptra tibi LEOPOLDE firmat.
Diſcede regnis perfida ab Auſtriis
Fortuna. Vires non habet impetus,
Inſanienti cùm furori
Stat clypeus, ſolidata Virtus.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XIX.

Imperia mala citò interire, Auſtriacum duraturum.

QUem Fortuna, faventibus
Adſpirans Zephyris, ad diademata
Et Regum trabeas vehit,
Ac magno celebris fœnore nominis
Pulvinaribus inſerit
Auguſtis Dominum; ſi nimium ſuis
Adblanditus honoribus
Expandat gravidis vela Favoniis,
Luctantemque cupidinem,
Et votum immodici pectoris æſtuans
Loro non teneat brevi;
Infelix Phaëthon, queis malè ſederat,

Pulvi-

Pulvinaribus excidet,
  Confuſus cinis, & victima gloriæ.
Sors in pectora blandior
  Irrepit vitiis; & ſimul optimæ
Mores inficit indolis.
• Rarus non aliquo crimine purpuram
Fœdat, vel capitis jubar
  Obſcurat vitio. At qui poſitus thoro,
Inſanis nimis auſibus,
  Impugnare DEUM tentat, inutili
Conatu atterit impetum,
  Et lapſum ipſe ſibi, & fulmina fabricat:
Quamvis ſuppoſitos metu
  Conſtringat populos, ipſe timoribus
At nunquam ſatis eminet.
  Majorem Dominum ſemper habet minor,
Ad cujus paveat minas,
  Et fulmen trepidet. Scilicet, improbos
Rex terret populos; DEUS
  At fulmen gravius Regibus intonat.
Si bello Imperium gravent,
  Aut ſe fulmineo turbine ſubditi
In vulgi excidium rotent,
  Et turpi dominam crimine purpuram
Fœdent; innocuum DEUS
  Patrono ſolium fulmine protegit.
Semper ſupplicium propè
  Grandis culpa trahit: nec Nemeſis brevem
Cedit ſupplicio moram.
  Inſtat ſemper atrox ultio crimini.
Quod ſi tarda venit, tamen
  Tandem conſequitur, quod ſequitur ſcelus,

Et plectit graviùs, manu
Compenſante moram. Sola nequit gravi
Virtus interitu mori,
Et ſeſe tumuli juribus eximit.
Juſtis proniùs imminet
Numen Principibus, quos parit AUSTRIA.
Jam longâ ſerie Imperî
Germani ad trabeas, quos vigor ingenî
Et recti ſtudium, & fides,
Prudens CONSILIUM, INDUSTRIA fervida
Commendat patriæ Patres,
Æternis populi nòn ſine plauſibus.
Augur non dubius cano:
LUIDPOLDE, Imperium, per tot Avos tibi
Tranſmiſſum, decimis quoque
Tranſcribes Atavus ſerò nepotibus.
Nam qui ſceptra nocentia
Longum nòn patitur vivere ſæculum,
Idem ſceptra DEUS pia
Mandat Neſtoreum vincere ſæculum.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XX.

Principum vita cordi eſt Superis: Auſtriacos Imperatores DEUS *protegit.*

IMpunè nemo vulneris arbitrum,
Exercet enſem in funera Principum.
Cavete, quos vindicta telo

Exſti-

Exſtimulat, vel acerbat ira
In imperantûm fata, Nocentium
Semper furori grandius intonat
Vindicta telum. Nemo Divos,
Enceladus licet, inſolente
Laceſſit ictu; quem grave protinus
Non inſequatur fulmen, & ignei
Emota tempeſtas olympi,
Et rabies furiata mundi.
Auguſta Regum ſceptra rebellibus
Tentare ſignis, eſt ſolium Jovis
Movere cœlo. Ni reducas
Enſe manum, Jovis Ales ungue
Librabit ignem, quo ſcelus in tuum
Cinis recumbas. Numina vertices
Regum tuentur; providâque
Nube tegunt diadema frontis.
Quin jam tonantis fulmina Vandali.
Et æſtuantem in prælia Parrhaſin,
Martiſque fervorem Geloni
Impavidus LEOPOLDE ſpectas?
Minantur? iræ ſunt ſine viribus,
Caſſumque fulmen, quando ferociunt
Cœlo reluctante, & tuentîs
Dextra DEI diadema curat.
Infractus amplâ è pectoris areâ
Aude tumultus cernere, & arduos
Inferre vultus, quà timendâ
Mars tonuit fremebundus haſtâ;
Quâ ſe flagello Dux Borealium
Bellona jactat ſæva cohortium,
Ferroque formidanda & igne

Cum populis reſupinat Urbes.
Furor videtur, ſed caret impetu,
Et conſilî expers mole ruit ſuâ ·
Quaſque architectatur ſagittas,
In propriam furiat ruinam.
Quin ſi trecentis ſe Mareotide
Evolvat undâ claſſibus, & ſalo
Soloque latè comminetur
Threjiciæ dominator oræ,
Sævoſque Thraces, & Scythiæ vagas
Gradivus arces Auſtriæ in ultimam
Trahat ruinam, Pannoneſque
Strimonius metat horror agros:
Nempè Auſtriorum proferet irritum
In damna Martem. Nam vigilat polus
Tuæ ſoluti, perfidoque
Excidium jaculatur hoſti.
Cœlum inquietat, qui tibi prælia
Indicit hoſtis. Tu Geticis ſuper
Ferêre acervis, & triumphos
Thyſſagetûm in clypeis notabis.
Tu, quà Propontis ſævit, & obviat
Freto Corinthus, Marte Alemannico
Trophæa plantabis, decora
Auſtriacæ monumenta famæ.
Sed nec ſonabunt claſſica civico
Incenſa bello: quando benignitas,
Et dextra clemens, plus feroci
Enſe, feros animos quietat.
Vim temperatam Civibus admoves,
Blandeque ducis, non trahis impetu.
Hac arte placari Leones,

Et

Et Geticæ dedicêre Tigres.
Hæc ſancta fraus eſt, qua tibi ſubditus
Orbis quietem diſcit, & aureus
Candor tuetur, mutuoque
Corda fides adamante nectit.
Utcunque ſed Mars exterus infremat,
Vel civium ardor prava minantium
Inſanientes per calores
Diſſidium populorum acerbet;
Habes Tonantem pervigilem tuo
LUIPOLDE ſceptro. Legitimum DEUS
Tuetur Auguſtum; & rebellem
Fulmineo quatit igne dextram.

Ad Augùſtiſſimum Romanorum Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXXI.

Euchariſticus panis eſt Auſtriacorum Regnorum alimonia.

NUnquam ſtudebis ſigmata Perſico
Superba luxu, aut pocula fuſilis
Liquore baccæ temperata, aut
Dædaleas ſuperare cœnas.
Poſt apparatus Phaſidis, & graves
Menſas Apici, poſt Halyatticas
Cœnas, recrudeſcit fumantis
Vis ſtomachi, calidasque acerbat
Sitis medullas. EUCHARES Auſtriæ
Eſt eſca Stirpis, regia Cæſarum

Altrix, ab Habſpurgo Parente
Archiducum precioſa menſa.
Hac ille primus nominis Auſtrii
Fundator eſcâ in ſceptra potentiam
Attraxit, Auguſtumque honorem
Cæſaream in trabeam vocavit.
Hic robur armis, hinc animis vigor,
Virtusque pugnax Martis ahenei,
Et inter undantes procellas
Mens ſtabili inviolata puppi:
Hinc fauſtitatis vena perennibus
Itura gemmis: hinc niveos ſalus
Datura Soles; hinc redemptæ
Pacis honor, fideique ſplendor.
LUIDPOLDE, cernis, quà venit Auſtriæ
Aurora gentis, tot diadematum
Prænunciatrix, totque honorum
Imperii, triplicisque Regni
Auguſta Mater? Cernis, & indole
Non ſegniori patria perlegis
Veſtigia, & magnos avitâ
Inſequeris pietate Patres.
Quid ominemur? Fortium hic eſt cibus:
Dicamné fortem in prælia ſpiritum
Hinc naſciturum, quo feraris
In medias LEOPOLDE turmas;
Seu quas Gelonus Parrhaſiâ procul
Ferro timendus duxit ab Arcade;
Seu quas Othomanni furentis
Ira trahit rabiesque Daci?
Cùm pauca dico, plurima cogita:
Nam vis in uno plurima verbulo eſt.

Hic

HIC PANIS EUCHARISTIA. Audi
Quod Proavis anagramma quondam
Tuis canebam: PANIS HIC AUSTRIÆ.
Nec plura dicam: hac voce perennium
Dixi coronarum virorem, &
Auſtriadûm ſine fine lauros.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXII.

In Auſtriacam Domum nunquam peribit invidia, quia ejus gloria ſemper durabit.

EXſurge felix AUSTRIA, Cæſarum
Auguſta Mater: tuque beatior
Columna ſtirpis, Imperantûm
In numerum LEOPOLDE tranſi.
Suffragiorum jam tibi candidus
Applaudit ordo; jam diademata
Se vertici acclinant, manumque
Sceptra rogant, latus ambit oſtrum.
Sed invidorum dentibus obſita eſt
Via imperantûm. Quiſquis in ardua
Enititur Regum theatra,
Ni medias generoſus intret
Livoris iras, ſeque per obvios
Infundat æſtus; ludibrium ſui
Jacebit ardoris, ſuoque
Ambitio reprimetur auſu.

Sic eſt: nitentem qui radiantibus
Decurrit axem Cynthius eſſedis,
Terræ vapores, quêis tegatur,
Ipſe ſibi trahit in volumen.
Hæc eminentis gloria gloriæ eſt:
Natura quidquid magnificum tulit,
Virtutis eniſu ante ire
Et titulis ſupereminere.
At corde livor ſuſcitat igneas
In arma flammas. Namque quod invidet
Exulceratus, bellicoſo
Marte petit, tumidoque ſævus
Laceſſit œſtro. Quiſque retundere
Geſtit, quod antêit; ſeque ſuper gradum
Levare magni, gloriæque
Colla ſuper pede inambulare.
Sic eſt: ſed ales fulminis armiger
Tibi miniſtrat. Torqueat improbos
Bellona ſerpentes, gravique
Marte tonet furiatus orbis;
Hic arma ſtringet fulmineo procul
Timenda jactu; teque ſuperſtitem
Servabit iræ. Hac morte livor,
Quam fabricat, ſolet interire.
Exinde vives non tamen invidi
Morſu carebis. Scilicet AUSTRIÆ
Nomen perenne eſt: hinc perennem
Invidiæ trahit ipſa nubem.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXIII.

Princeps, qui ſuos cives amat, amatur viciſſim & colitur.

CUi ſceptrum Fortuna dedit, qui nutibus or-
Flectit, & imperio (bem
Cives & urbes temperat;
Ne metuat, metui metuat. Timor unicus iſte
Principibus liceat;
Malintque amari ſubditis.
Infelix nimiùm eſt Regis præſtantia, quando
Excubias lateris
Formidat ipſe proprii,
Non minùs ac hoſtem, circumque frementia tela.
Quiſquis amore caret,
Terrore fruſtra cingitur.
Principis ira feri populorum provocat iras,
Inſidiæ inſidias,
Minæ minas exſuſcitant.
Qui formidari vult, formidabit & ipſe.
Tutius Imperium eſt,
Coli, foveri, diligi.
Hoc regnum Leopolde tuum eſt: Spectatus a-
Nomen amicitiæ (maris:
Vocas ad aulæ purpuram:
Et quantò fortuna tibi præſtantior auras
Afflat in obſequium,

Tantò

Tantò tuis benignior
Affulges Princeps: Te non poſcentibus ultrò
Inſinuas facilis,
Et Patris atque Cæſaris
Nomina confundis, miſcesque in Cæſare Patrem
Prodigus alloquii;
Minùsque Cæſar ſubditis,
Quàm Pater eſſe cupis. Sic te LEOPOLDE ve-
Nobilitatis amor, (retur
Et civium cuſtodia;
Quique tuus dici potuit, nihil ampliùs optat,
Quàm documenta dare
Etiam profuſo ſanguine
Te quòd amet; laudemque putat ſibi quilibet
Si fera ſors jubeat, (eſſe,
Suo mori pro Principe.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXIV.

Dolorem, quem orbis in funere FERDINANDI III. *&* IV. *concepit, temperat electio Auguſtiſſimi* IMPERATORIS LEOPOLDI.

Flevimus, quando violentiore
Mors tulit Fratrem nece FERDINANDUM,
Et ſepulchralem media induerunt
Gaudia luctum.
Flevimus, quando pia pompa PATRI
Ducta, funeſto nimis apparatu

Com-

ımpita atravit, cineremque ſacrâ
Condidit urnâ.
evimus: nec ſe miſerandus anno
uctus exhauſit, tepidamque ſemper
achrymam truſit lachryma, alterique
Altera ceſſit.
:cilicet nullos dolor efferatus
ccipit frænos; neque glorioſi
rincipis mœſtum ſatis ulla deflet
Lachryma fatum:
)onec æqualis, meliorvé Princeps
Torqueat ſceptrum; ſoliumvé Patris
Natus inſcendat, paribusque flectat
Legibus orbem.
Nunc, adhuc quamvis madeant priore
Lachrymâ vultus, cecidit querendi
Cauſa, & abſterſus dolor in ſerena
Gaudia migrat.
Nempè jam Patri ſimilem videmus
Cæſarem; dum tu, Leopolde, jura
Civibus dictas, populosque eâdem
Lege gubernas.
Par tibi virtus; ſtudioſa recti,
Suavis affatus, rigidique ſceptrum
Neſcium ferri, geniusque dulci
Nectare manans.
Te piæ leges, & amica legum
Pax triumphali comitata plauſu,
Et fides, & fas, & Apollinaris
Gratia ſtipat.
Si tamen bellum grave claſſicorum
Intonet murmur; tibi Martialis

Dex-

Dextra pugnaces domitura Thraces
Fulminat armis.
Unde nec fatis obiiſſe Patrem
Credimus. Vivit, LEOPOLDE, dum tu
Vivis, & Patris meliore penſas
Funera vitâ.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem
LEOPOLDUM.
ODE XXV.

Nullum beneficium perit minùs, quàm quod confertur ſapientibus.

NEſcitis, quibus affluit
Fortunæ obſequium, rursùs & effluit
Rerum copia inutilis,
Quo laudabiliùs munificæ loco
Condatis bona dexteræ.
Perdit ſæpè bonam gratia gratiam,
Ni dignum inveniat locum.
Illuc munifici munera pectoris
Magni evolvite Principes,
Spes magna unde redit, nec ſterili jacet
Semen depoſitum ſolo.
Infœcunda perit gratia, publicæ
Si nil fructificet rei.
Infœcunda perit, quæ ſceleri datur.
Nam nunquam ſine publico
Damno criminibus divitiæ affluunt.
Fœcundo ille locat ſolo,
Qui Muſas alit, & pauperem Appollinem.
Huc,

ic, CÆSAR, pia largitas
Dives muneribus promicet. Utilis
æc eſt munificentia
Quæ nutrit dominæ vim Sapientiæ.
lim ſic polus aureo
Nimbo deciduus, fluxit amabilis
cunabula Palladis:
Nunc, naſcente iterùm Pallade, vilior
Idem pauperies ſubit.
Sic ſe divitiæ vilibus ingerunt;
Urget pauperies probos.
At quamquam leviùs nemo ferat malum;
Nemo ferre tamen minùs
Debet, quàm ſapiens. Hic dominabitur
Aſtris: quid malè ſubtrahit
Tellus auxilium? ſe ſapientibus
Non parcus polus ingerit,
Stellarumque micans ſervitium intimat:
At terra obſequium negat,
Quod ſtulto capiti ſæpiùs applicat:
Quod Marti aſſerit impetum,
Ingentesque alit in prælia ſpiritus;
Hoc magnos Academiis
Enutrit genios. Spes ubi militi
Prædæ acciditur, occidit
Decertandi animis. ſi ſapientiæ
Se ſtipendia ſutrahant,
Magnis ingeniis dura retunditur
Muſarum patientia.
Vis, CÆSAR, ſapiens conſilium? Fove
Muſarum patrimonia.
Muſæ conſiliis erudiunt viros.

Ad

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXVI.

Felix Reſpublica, cui imperat LEOPOLDUS.

FOecundiorum quæ natet AUSTRIÆ
Carina laudum, quantus in arduum
Nepos nepotem gloriarum
Raptet iter, ſubeatque callem
Sequens prioris; quo diademata,
Laurique frondes ordine profluant,
Leges in ALBERTO, AUSTRIORUM
Magne Nepos, LEOPOLDE, Patrum.
Illi eruditæ filia Palladis
Virore frontem laurus inambulat,
Phœbusque, dictantesque Muſæ
Ingenuum ſibi pectus aptant.
Illum feroci fervida ſpiritu
Vis bellicoſæ laudis avarior
Succendit, armatusque Mavors
Magnanimos vocat in furores.
At non cruoris prodiga dextera,
Sed parca cœdis, quamlibet incita
Procella convolvat tumultus,
Et tacitum veniæque largum
Proritet enſem. Nempè magis caput
Auguſtum adornat neſcia ſanguinis
Corona; bellacesque palmas
Innocuum diadema vincit.
Quod ſi minetur ſors fera turbine

Re-

um ruinas, rectus & integer
ſub mole mundi collabantis
Durat Atlas, cohibetque lapſum.
nec ſupino te ligat otio
ieta virtus, quin paribus Patres
Sequaris auſis, & coronas
Imperii, LEOPOLDE, eodem
bore vincas. Sanguine ab AUSTRIO
atus, bibiſti ſanguinis indolem;
Ternumque maturam juventam
Cæſareo diadema nexu
uam revincit. Te Duce laureas
Quot Mars parabit? quæ venientium
Meſſis triumphorum vetuſtis
Adjiciet nova regna regnis?
ic advovemus! Publica commoda
i quiſque tecum civis amaverit;
Felicitas regni tenebit
Conſiliis ſtabilita clavum.

AD CAROLI V. IMPERATORIS MANES.

ODE XXVII.

Imitatorem CAROLI V. *eſſe* LEOPOLDUM IMPERATOREM.

O Auſtriorum CAROLE Principum,
Et maximorum gloria Cæſarum,
Invicte tot bellis Monarcha,
Totque caput redimite lauris;
Te Martis horror ſplendidus aſpici,
Te bellicarum præmia frontium,

Pal-

Palmæque frondenteſque Lauri
Et famulus comitatur acres
Mars in triumphos. Te poſito minor
Furore Maurus plus decuplâ vice
Senſit triumphantem, & frementes
Armeniæ tibi flexit ârces.
Te Boſphorani decolor æquoris
Fluctus propinquis, non ſine fletibus,
Narravit Afris; ter ſubactus
Odryſiâ Solymanus irâ
Terram momordit: Te Libyes procul
Expavit ardor: Te Numidûm fuga,
Teſtata victorem, imperato
Deſeruit ſua caſtra curſu:
Te quà potenti Marte ſequentium
Invicta adurges ſigna cohortium,
Præoccupato fama curſu,
Dum dominum canit, atterentes
Spargit timores. Quid famularia
Dicam ſubactæ colla Alemanniæ,
Aut detriumphatos Batavos,
Vangiones, domitoſque Gallos,
Angloſque fuſos? Te Wahalis reis
Adorat undis; te refugis timet,
Garumna ripis; te Viſurgis,
Te famulo veneratur Iſter
Rhenuſque fluctu: te Rhodanus colit,
Ararque & Albis; te Tanais procul,
Et Moſa, Scaldiſque & gemente
Eridanus reveretur algâ.
Te, quidquid ambit Nereus, & vago
Sinu Amphitrite colligit, obvio

Arridet

Arridet amplexu, & quietas
Oceanus tibi ſternit undas.
Quacunque terræ Sol habitabiles
Illuſtrat oras CAROLE, Cæſarum
Cæſar vocaris, Rexque Regum
Magnus Atlas, columenque mundi:
Idem timendâ fronte ſeverior
Et temperatâ lege ſupercilî
Mitis: ſerenus idem, & acer;
Atque timor populorum, amorque.
At Martialis gloria nominis
Et fama magni Principis ardua,
Clementiæ laus, lenitatis
Elogium, decus æquitatis,
Et cura cœli relligioſior
Non tota tecum, CAROLE, funebre
It in ſepulchrum; nec fatiſcit
In cinerem reſoluta virtus.
Adhuc recenti, quam tibi gloria
Ad tot triumphos ſcripſerat orbitam,
Calcatur inceſſu, parique
Inſequitur LEOPOLDUS æſtu.
Illi capacem non popularibus
Natura mentem viribus imbuit;
Juſſitque nil nimis timere,
Nil nimiis adamare votis.
Illum decori pectoris hoſpita
Ad alta virtus grandibus educat
Matura curis, & Parentum
Pulcher honor vocat ad coronas.
Illi futuri mens benè conſcia,
Et anteacti temporis arbitra,

Juſtum

Juſtumque, Legesque in juventæ
Flore, gravem ſtatuunt Senatum.
Illi eruditi eſt copia CONSILÎ,
Et æqua mentis libra negociis
Examinandis, quæ revolvit
Difficilis facilisque caſus.
Illi probati INDUSTRIA pectoris
Partem laborum Numinis expedit;
Curasque diviſas regendi
Imperium, generoſus haurit.
Illi fluentis vena pecuniæ,
Et liberalis copia dexteræ
Se non avaro prodit alvêo,
Et riguo populorum amores
Lucratur auro. Nempè recentium
Quà gratiarum flumine defluunt
Opes, inexhauſtasque pleno
Divitias ruit amne Princeps;
Illac remigrat gratia civium,
Æſtusque fervens obſequiis: eò
Tendunt amores, unde manant
Munificæ monumenta dextræ.
Hinc & frequentant agmina civium
Ultrò volentem, & pectoris occupant
Patentis arcem, & gratioſo
Inſidias ſtatuunt amori.
Quin bellicoſis empta laboribus
Illum coronat gloria, & arduus
Togæ Senatus; plurimoque
Pacis amor comitatur auro.
Quocunque ſeſe CAROLUS incitat
Vel igne Martis, vel melioribus

Pacis

Pacis trophæis; hac ſequentes
Acer agit LEOPOLDUS ignes.
O quantus armis, ſi fera claſſica
Martem perorent, induet obrutum
Mundum trophæis! quàm ſevero
Arma fremet LEOPOLDUS ære!
O quantus aurêæ pacis in Iride
Virensque olivâ ſe niveis aget
Cæſar quadrigis, dum beatos
Exilio revocabit annos!
Auditis? an me lenè micantibus
Illludit aſtris pompa ſerenior?
INDUSTRIâque & fœderato
CONSILIO ſtabilita fræna
Gratatur orbis? Pergite ſidera
Impendioſo munere Cæſarem
Servare, mundi qui ruinas
Impediat ſubeunte coll?,

AD ROMANUM IMPERIUM.

ODE XXVIII.

Auguſtiſſimum IMPERATOREM LEOPOLDUM *eſſe* FERDINANDI I. *imitatorem.*

IDem Cæſar, & Innocens,
Orbis prodigium eſt. Purpura, quæ latus
Circùm fluctuat arduum,
Rarò labe caret. Fulgida nomina
Fumus plurimus inficit:
Et quod conſpicuum ſe jubar exerit
Frontis, nubibus objacet.

Pulſantur Zephyris ac Aquilonibus
Celſorum juga montium:
Sublimi è ſolio cernere vertices
Regnorum famulantium,
Nec vento aut facili ſorte tumeſcere,
Ut res plena periculo eſt,
Sic eſt prodigio res ſimilis. Tamen
FERDNANDUS ſine crimine
Pulvinar tenuit Regium, & integer
Effulſit diademate.
Non illum ſolio adnata licentia,
Et laudum ſitis æmula
Vſsêre illicitæ fulgure gloriæ?
Impunisvé potentia
Vim ferri manibus fortibus indidit.
Non illum ambitio impotens
Aut motûs animi ſeditionibus
Vexavêre domeſticis.
Non magni Zephyrus nominis integram
Vicit pectoris aream.
Sed (duxiſſe putes æthere ſanguinem)
Purus labis & integer,
Intra ſe melior, perpetuum ſuus,
Inter mille negotia
Curarum vacuus, tormina mentium
Sic geſſit diademata,
Rex, Cæſarque ſui, ut ſollicitudines
Aut regnorum inamabile
Non ſentiret onus, pulchraque nomina
Auguſtamque potentiam
Menti non nocuæ jungeret, & ſimul
Eſſet Cæſar, & innocens.

Hæc

Hæc eſt AUSTRIADÛM gloria! purpuram
Servant innocuam, & procul
 Auguſto ſolio crimina ſubmovent.
Talem credimus, Imperî
 Qui nunc fræna tenet, grandior aſpici
LUIDPOLDUS Patriæ Pater,
 Terrarum dominus. Non ego dixerim
FERNANDI diademata
 Auguſtasque ſacri verticis infulas
LUIDPOLDI capiti inſeri,
 Et traxiſſe negem pectoris indolem.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXIX.

Ut olim Maximilianus II. COR *&* OCULUS
Germaniæ dictus eſt, ſic hodie Aug. Imp.
LEOPOLDUS.

NOn totus uno funere mergitur,
Qui glorioſè vixit. Euntibus
 Declivem in ætatem diebus,
 Jus adimit generoſa virtus.
Vivet, ſepulchri neſcia, gloria
Tot parta bellis; Vivet, & ultimis
 Narrabitur mundi cadentis
 MAXIMUS ÆMILIANUS annis.
Sic AUSTRIORUM jam puerilibus
Matura ab annis annuit indoles,
 Sic Cæſarum Cæſar quieto
 Imperio, LEOPOLDE, ſpondes.

Pulſantur Zephyris ac Aquilonibus
Celſorum juga montium:
Sublimi è ſolio cernere vertices
Regnorum famulantium,
Nec vento aut facili ſorte tumeſcere,
Ut res plena periculo eſt,
Sic eſt prodigio res ſimilis. Tamen
FERDNANDUS ſine crimine
Pulvinar tenuit Regium, & integer
Effulſit diademate.
Non illum ſolio adnata licentia,
Et laudum ſitis æmula
Vſsêre illicitæ fulgure gloriæ?
Impunisvé potentia
Vim ferri manibus fortibus indidit.
Non illum ambitio impotens
Aut motûs animi ſeditionibus
Vexavêre domeſticis.
Non magni Zephyrus nominis integram
Vicit pectoris aream.
Sed (duxiſſe putes æthere ſanguinem)
Purus labis & integer,
Intra ſe melior, perpetuum ſuus,
Inter mille negotia
Curarum vacuus, tormina mentium
Sic geſſit diademata,
Rex, Cæſarque ſui, ut ſollicitudines
Aut regnorum inamabile
Non ſentiret onus, pulchraque nomina
Auguſtamque potentiam
Menti non nocuæ jungeret, & ſimul
Eſſet Cæſar, & innocens.

Hæc

Hæc eſt AUSTRIADûM gloria! purpuram
Servant innocuam, & procul
Auguſto ſolio crimina ſubmovent.
Talem credimus, Imperî
Qui nunc fræna tenet, grandior aſpici
LUIDPOLDUS Patriæ Pater,
Terrarum dominus. Non ego dixerim
FERNANDI diademata
Auguſtasque ſacri verticis infulas
LUIDPOLDI capiti inſeri,
Et traxiſſe negem pectoris indolem.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXIX.

Ut olim Maximilianus II. COR *&* OCULUS
Germaniæ dictus eſt, ſic hodie Aug. Imp.
LEOPOLDUS.

NOn totus uno funere mergitur,
Qui glorioſè vixit. Euntibus
Declivem in ætatem diebus,
Jus adimit generoſa virtus.
Vivet, ſepulchri neſcia, gloria
Tot parta bellis; Vivet, & ultimis
Narrabitur mundi cadentis
MAXIMUS ÆMILIANUS annis.
Sic AUSTRIORUM jam puerilibus
Matura ab annis annuit indoles,
Sic Cæſarum Cæſar quieto
Imperio, LEOPOLDE, ſpondes.

Si quando Lunæ cornua Thraciæ
Virtus honeſti prodiga ſanguinis
Fregiſſe dicetur, graviqúe
Boſphorus occubuiſſe clade,
Acremque Martem in prælia MAXIMI
Fugiſſe mundi terror, & ultimum
Buſtum, Tyrannus, fletibusque
Pannonicos vacuaſſe campos:
Tuæ canemus ſymbola gloriæ, &
Exemplar iræ, quâ Mareoticos
Olim Tyrannorum furores
Marte gravis, LEOPOLDE, ſternes.
Si fortè & olim COR ALEMANNIÆ
Ætas Nepotum poſtera MAXIMUM
Cantabit, illuſtremque noſci
MUNDI OCULUM celebrabit orbis;
Partem tuarum, maxime Cæſarum,
Laudum ſonari crede: Alemannia
Vivente te vivit, videtque
COR, OCULUS, LEOPOLDE, mundi es.
Vitalis auræ purus anhelitus
In ſceptra per te ducitur, & vigor
Per membra transfuſus fugacem in
Regna trahit retrahitque vitam.
Per te videtur, quæ procul imminet
Procella regnis; quæ ſonat ultimam
Proterva tempeſtas ruinam,
Et trepidis populis ſupremam
Cladem minatur. Scilicet editum
Pulvinar arx eſt, unde neceſſitas
Spectata regnorum fideli
Auxilio lachrymantis arcet.

La-

Lamenta vulgi. At te quoque ſubditi
Cives tuentur: Tu popularium
Inſumis obtutus, ſtupenſque
In te animos aciemque vultûs
Europa firmat. Nempè in amoribus
Eſt civium Rex, qui pariter fovet
Amore cives: inſequentis
Primus amor ſeges eſt amoris.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem
LEOPOLDUM.

ODE XXX.

Eum fortitudine adversùs Turcas RUDOLPHUM II. *æmulaturum.*

SEu mente fœtum, conſilio gravem,
Plenum Senatu, divitis eloquî
Venæque fœcundum RUDOLPHUM, &
Ingenio veneramur acrem;
Seu Martiali carmine dicimus
Fregiſſe Lunæ cornua Thraciæ,
Et ſæpè Germano Tyrannum
Biſtonium domuiſſe ferro;
Pars eſt tuarum, MAXIME CÆSARUM
LUIDPOLDE laudum. Nobilis indoles
Auguſta mentis, ſpirituſque
A tenero generoſus ungue
In arma creſcit Pannonis ultimis
Serenda terris. Sanguine vidimus
Natare Rabam, cùm Tyrannus
Per medias agitavit undas

Fugacis iræ præcipitem impetum,
Flumenque pleno barbarus agmine
Urgens Gigantæas nefaſto
Inferias properavit Orco,
Pudendam honeſti victimam acinacis;
Et ſponte lethum quæſiit inſolens
Inſtante RUDOLPHO, & pavente
Anteiit ſua fata curſu.
Afflicta Budæ mœnia vidimus,
Albam trementem, Biſtonas Agriâ,
Fruſtra reluctantes, fugatos,
Odryſias Mahometis iras
Umbris ſacratas irrevocabili
Ceſſiſſe fato; cum malè pertinax
Strigonium victor teneret,
Et mediâ violentus urbe
Cæſar ſederet. Tunc Rhodopeiæ
Flevêre Lunæ, & Manibus hoſtiæ
Ceſsêre pingues, Pannoniſque
Exitium populare regni
Sinan fugatus; callidus Ibraim
Exutus armis; bis quoque mœnia
Soluta Petrinæ Tyranni
Deſeruit fugitivus ardor.
Si rurſus irâ Thracius AUSTRIUM
Irritet enſem Boſphorus, & greges
Agens probroſos Martiali
Exitium vehat in procellâ;
Fractus LEONIS ſentiet impigram
In bella dextram; & ſanguine cornua
Imbuta Lunæ dum videbit,
Arma procul fugitiva vertet.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem
LEOPOLDUM.
ODE XXXI.
Ut exemplo FERDINANDI II. *ad extirpandam hæreſin incumbat.*

NOndum ſupremo vulnere concidit
Lernæa proles. Scilicet impiis
Bacchatus armis jam labantem
Diſſidiis lacerare mundum
Orcus laborat. Vidimus Hæreſin,
Sub FERDINANDI nuper acinace
Fruſtra reluctantem, probroſo
Colla jugo dare, lachrymiſque
Nil profuturis interitûs ſui
Plorare ſcenam; ſeu Madeburgicas
Cùm Marte turres fulminaret,
Et veteris monumenta famæ
Exercitati militis igneo
Raptaret æſtu, evulſaque ſedibus
Urbs ampla nutaret, pudendum
In cinerem ruitura moles,
Urgente ferri fulgure mœnia,
Ædeſque flammæ robore, Tillio,
Seu cùm Palatinis Bohemæ
Cædibus erubuêre Pragæ,
Albique montis ſtrata cadavera
Texêre culmen; ſeque Britannicis
Infudit undis Fridericus,
Non iterùm metuenda larva,

Et umbra Regis. Quid memorem ultimos
Daci furores, cùm novus Annibal
Bethlemus immani calore
Carpathias ſuperavit alpes,
Inominato robore Thracii
Fultus Tyranni, & ſacrilega Africam
In arma traxit, Boſphorumque,
Et Scythiæ Cilicumque nubes
In atra duxit funera Pannonum?
Quid Vandalorum bella, & Oriona,
Totumque funeſtis Booten
In vetitos malè concitatum
Martis furores? At malè perfidis
Pugnatur armis: nec ſtetit exitu
Fortuna fauſto, cùm nocenti
Bella calent furiata Marte.
Guſtavus Urſæ Rex Erymanthidos
Auſus vocari blando anagrammate
AUGUSTUS, in tabo ſepultus
Lipſiacos vitiavit agros,
Sic vis, & atrox ambitio piis
Occumbit armis, Rursùs at Herculis
Labor vocatur; toxicumque
Seminecis ſobolеſcit Hydræ.
Incumbe grandi CÆSAR acinace,
LUIDPOLDE, monſtris, teque ruentibus
Oppone caſtris, & Gelonos
Siſte equitum peditumque nimbos.
In te refuſis poſthuma ſæculis
Felicitatis tempora defluunt,
Virtusque Avorum; tu labantis
Jura potes reparare mundi.

Ad Auguſtiſſimam

DOMUM AUSTRIACAM,

ODE XXXII.

CONSOLATIO

In morte FERDINANDI III. *Romanorum Imperatoris.*

QUid triſtis Niobe, funera Cæſaris
Deplorans lachrymis, te Auſtria conficis?
Naturæque moleſtis
Cedis ſponte doloribus?
O Regum genitrix, gloria Cæſarum,
Tutrix Imperii; lux diadematum,
Europæque voluptas,
Magnæ fons opulentiæ;
Priſcis redde oculos Diva leporibus,
Frontem lætitiæ, tempora laureis;
Erectumque ſeveris
Pectus nubibus exime.
Vivit (quid dubitas?) neſcia funeris
Virtus immemoris, vivit & aureæ
Felix munere famæ
Seſe reſtituit tibi
FERNANDUS; meriti nec tamen ætheris
Exemptus ſolio eſt. Vivit, & integer
Deplorata nocentis
Pendit crimina ſæculi.
Quidquid proſequeris mœſta doloribus,
Eſt, vel Diva Themis, ſancta ſecuribus,
Servans jura ſolutis;
Vel ſacros Pietas focos

Inflammans calido ſemper anhelitu,
Nutrix magna DEI, præcipitem potens
Delenire Tonantem, &
Cœli fulmina ſiſtere;
Vel mens paciferis inclita legibus,
Submotumque feri Martis ab ignibus
Ferrum, & parca alieno
Tingi dextera ſanguine:
Vel ridens tacito pacis in otio
Innubis facies; ſive Favoniis
Res Fortuna ſecundis
Voti duceret æquore,
Felix egregiæ navita gloriæ;
Seu fati violens ſterneret impetus
Campum fulmine Martis,
Aulam funere Conjugis;
Urgerentque gravi Cæſaris intimos
Telo fata lares, & diademata
Infelice cupreſſo,
Plauſum leſſibus, incito
Mutarent Superi turbine; & immemor
Cœlum præteriti vulneris, altero
Pectus grande parentis,
Nati in funere figeret:
Virtus edomiti certa periculi
Regnorumque capax conſtitit, & ſuo
Semper læta ſereno
Solem pectoris integri
In fortis mediis nubibus extulit.
Hæc erepta tibi non humili gemis
Leſſo, Diva, potentûm
Mater Regia Cæſarum.

Sed

Sed vultum lachrymis exime, proxima
Divorum ſoboles. Quam tibi gloriam
Fato credis ademptam,
Vivit, neſcia funeris.
Vivit Conſilium, conſcia ſanguinis
Mens vivit patrii; vivit & Æquitas,
Et conſtantia mentis
Sortis docta retundere
Audaces fremitus, & Sapientia,
Apta & Cæſareis dextera faſcibus;
Totuſque in LEOPOLDO
FERNANDUS ſupereſt tuus.

AD MANES
Auguſti Romanorum Regis
FERDINANDI IV.

ODE XXXIII.

Spem in FERDINANDI IV. *morte orbi ereptam, reſtitui in electione ad Romanum Imperium Auguſtiſſimi Imperatoris* LEOPOLDI.

NAm quis ſerenâ frontis ab areâ,
Non ſauciato lumine, publica
Lamenta ſpectabit, ſuoque
Cum populo cecidiſſe Regem
Siccus videbit? ſcilicet inſolens
Fortuna, circùm limina Principum
Tonare crudelis, repentè
Eripuit nece FERDINANDUM.
Quem nuper aucto gloria Cæſarum

 Adſcri-

Adſcripſit Albo; cui diademata
Cinxêre crines, Auſtriorum
Grande decus, columenque mundi.
Heu, FERDINANDUS! quis mihi per genas
Non invocatus nimbus inambulat?
Heu, FERDINANDUS! qui dolores
Pectus agunt, animumque acerbant?
Heu, FERDINANDUS! deſine, viſcerum
Tyranne, mœror cor lachrymabili
Urgere luctu. Heu, FERDINANDUS
Stirpis amor, gloriæ columna,
Pupilla pacis, delicium Imperî,
Firmamen orbis, gloria Principum,
Cor Auſtriorum: FERDINANDUS
Occubuit. Lachrymare Muſa:
Jam cuncta dixi. O invida ſidera
Felicitati labilis Imperî!
O cruda, & in noſtros dolores
Aſtra avidis animata telis!
Sicné innocentem dux roſa purpuram
Exponit auro Solis, ut ardeat,
Pompamque regalem coquente
In cineres agat igne Phœbus?
Sic purpurato parturit è ſinu
Aurora Solem manè, meridie
Ut naufragetur, ſpiritusque
Sidereos tumulet nigrante
Nox atra velo? Sicné perennibus
Frondere laurus digna viroribus
Expandit umbras, ut tonantem
Præda recens cadat in ſecurim?
At non peribis, gloria ſæculi

FER-

Fernande noſtri; nec violabili
Clauderis urnâ; nec cadaver
Pondere pyramidum obruetur.
Frater ſuperſtes fratris amabile
Supplebit ævum. Quos Lacheſis tibi
Ademit annos, inſequentis
Imperii adnumerabit æther
Fratris coronis. Sic mihi fulminis
Addixit ales, ſic ſocii gravis
Leonis inceſſus; ſeverum
Cuî ſtatuit mediis in armis
Nidum Gradivus. Quàm benè labilem
Molem cadentis fulciet Imperî,
Quem fortis hinc Leo tuetur,
Hinc Aquilæ vigilantis ardor!
O ergo, quiſquis tempora ſiderum
Urges volantûm, & ſæcula concitas
Avara devolvi; occidentis
Solis equos remorare Numen.
Donec ſenectâ feſſus; at integer
Virtute; & annis & meritis gravis
Illuſtre Divorum petatur
Concilio Leopoldus aſtrum.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXXIV.

Imperii Romano-Germanici majeſtatem in CAROLO MAGNO *fundatam, à Domo Auſtriaca & Auguſtiſſimo Imperatore* LEOPOLDO *ſuſtinendam impoſterùm & amplificandam eſſe.*

RES magna parvis principiis venit.
Septemplicato qui lavat oſtio
Mæotiden Iſter paludem,
Rivus erat, tenuique ſaltu
Vincendus amnis. Contiguis poli
Quæ ſe maritat ſideribus cedrus,
Et arborum excedit ſenatum;
Virga fuit, modicumque germen.
Vides Mimantem, Porphyrionaque,
Cuî ludus Oſſa eſt, cui pila Pelion?
Vides Gigantæis lacertis
Enceladum? Puer ille quondam
Fuit tenellus. Quidquid in arduam
Creviſſe molem tempore cernimus,
Fuit puſillum, gloriamque
Principio rudiore duxit.
Non ſic coronæ fama Alemannicæ,
Ingenſque ſceptri Cæſarei decus,
Quod glorioſam devolutum
Per ſeriem LEOPOLDE, captas.

Sub

Sub ipſa magnum principia emicat;
Parique ſemper nobile gloriâ
A CAROLO ductum perennat;
Theutonicâ nimium rotari
Virtute avarum. Nempè Alemannici
Incæptor ævi maxima CAROLUS
Jeciſſe fundamenta regni
Dicitur, & fugitiva ſceptra
Firmaſſe forti robore dexteræ.
Illi aſſidebat Conſilium grave,
Mentiſque curæ providentis,
Judicii, ſapientiæque
Dives ſupellex, inviolabilis
Timore fervor, robur euntibus
Majus procellis; æquitatis
Firma bilanx, pietatis ignis,
Conſtantiæ vis, magnificentia,
Regnique nervus vaſta potentia,
Et exterorum, & ſubditorum,
Cultus, amor, ſtudium, fideſque,
Et norma legum, & gloria Martia,
Tot laurearum clara viroribus,
Graviſque palmis, tot trophæis,
Tot poſitis veneranda cedris;
Latèque fuſis hoſtibus inclita
Pax parta regnis; munificentia
Onuſta donis, liberalis
Muneribus mànus erogatis:
Omneſque dotes pectoris ardui,
Omnes & artes Cæſaris optimi;
Et apparatus regiarum
Omnis opum, decus omne ſceptri,

Hæc

Hæc illa radix ſceptri Alemannici,
Firmata contra tot Boreæ impetus;
Quam nec catenati furores,
Nec rabidi gravis æſtus Orci
Evellet unquam. Hinc arbor in arduam
Sublimitatem crevit, & Auſtriam
Complexa, fatalis ruinæ
Dedidicit numerare damna
Olim coronis Imperii adſita,
Cœdes repenſas cœdibus; impios
Ritus & aras, ſubditorum
In jugulos furiale ferrum,
Legesque ſcriptas pondere ſanguinis,
Et impotentis pectoris hoſpitam
Crudelitatem, civiumque
Funeribus viduata tecta.
At ſi quid arbos Imperii tamen
Tulit malorum, ſive licentiâ
Belli furentis, ſive Regum
Deſidiâ, tacitiſque fluxæ
Dolis voluptæ; poſterioribus
Magno rependit fœnore ſæculis
Stirps AUSTRIORUM, tuque magno
Reſtituis, LEOPOLDE, lucro,
Nunquam parentum ſanguine degener,
Quos diva virtus eripuit ſolo,
Cœloque tranſcripsêre fata,
Quos numerus meritorum avara
Sub aſtra duxit. Tu lucra CAROLI
Lucris adauges, ſceptraque regia
Virtute confirmas eâdem,
Et ſtabilis diadema factis.

Ad

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXXV.

Regna non ſuſtineri ſine pietate: hac ab Auguſtiſſimo IMPERATORE LEOPOLDO *Imperium fundari.*

QUiſquis auguſto decus arrogare
Poſtulas ſceptro, variumque motum
Semper infidæ ſtabilire ſortis;
Nitere cœlo.
Interit regnum, diadema nutat,
Avolat ſceptrum,. populus rebellat,
Purpura elanguet; niſi ſanctitatis
Protegat umbra.
Regna ubi fulcit pietas, in arma
Suppetunt vires, facilemque belli
Aleam Numen rotat, & Gradivi
Temperat æſtum.
Regna ubi fulcit pietas, quieta
Pax inoffenſas moderatur urbes
Lege virtutum, niveisque currunt
Sæcula bigis.
Conſulit paci, famulatur armis,
Opprimit motus, ſtabilit quietem,
Jura conſervat pietas, agendi
Regula recti.
Nixus hac regnas, LEOPOLDE. Surgat
Orbis in ferrum, ſegetemque Cadmi

Urgeant

Urgeant hoſtes, tremefacta motu
Terra dehiſcat;
Ipſe centeno Enceladus lacero,
Et Mimas, & Porphyrion furore
Tentet audaci ſuperinduiſſe
Pelion Oſsâ;
Parraſis ructet Borealis iras
Turbinis, fulmen Geta Vandaluſque
Exerant antris, geminentque ferro
Omina palmæ.
Nempe fruſtrato temeraſſe campum
Marte mœrebunt, cupidamque belli
Contrahent dextram; tibi dum ſecundus
Militat æther.
Irritus Mars eſt, cui militare
Abnuit cœlum, licèt ira denſis
Ferveat turmis, nimioſque telis
Aſperet arcus.
Cui DEUS pugnat ſatis ille multis
Cingitur caſtris: ſatis ille pauco,
Qui poteſt vinci, nocitura volvit
Milite bella.
Eſt tibi annonæ cumulus paratæ
EUCHARIS PANIS, toties in arma
Auſtriæ miſſus, toties relatâ
Nobilis herbâ.
Dux tibi belli moderatur arma
Virgo, quæ Patri eſt ACIES vocata
Sæpè CASTRORUM, Geticumque fregit
Agmen ad Iſtrum.
Quot polo ſtellæ, totidem pharetræ
Sunt tibi: quot ſunt radii, tot haſtæ

Serviunt

Serviunt bellis; hominumque penſant
Robore cenſum.
O nimis felix LEOPOLDE! cui ſe
Aſtra, cognatâ pietate flexa,
Sponte ſubmittunt ſociumque cælum
Deſtinat arma.
Nempe ſic regni bene collocata
Stat baſi moles; ubi ſceptra fulcit
Et laborantis pietas coronæ
Suſtinet aurum.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem
LEOPOLDUM.
ODE XXXVI.
Ut Imperii onus ſuſtineat feliciter,
PAR SIT FORTUNA LABORI.

IMpigris laboribus,
Induſtriæque robore imperantûm
Suſtinetur ardua
Corona. Qualis Hercules prementem
Fert labore machinam;
Et ſæpè ſubgemit; gravemque molem
Suſtinere vix potens
Verſat, reverſat; & ſibi moleſtus
Fluctuat, refluctuat:
Quodque execratur pondus, oſculatur,
Tortor ipſe pectoris;
Tamen labore ponderis gravantis
Pertinace fert jugum:

Talis potente quiſquis arbitratu
Æqua jura civibus
Provinciiſque dictat Imperator,
Pondus urget arduum:
Quod ſæpè laudat, ſæpè & execratur,
Occupat, renunciat;
Oditque, amatque; rejicit, ſumit,
Mente ſemper anxius.
O quanta vis laboris! ô quis Atlas
Poſtulatur huic jugo!
Non quiſque pondus quodlibet laceſſit.
Sceptra dexteram Herculis.
Vireſque Atlantis flagitant. Peribunt
Regna, quæ manu pigrâ
Tractantur. Hinc in AUSTRIAM recumbunt,
Et tuis laboribus
LUIDPOLDE, flecti poſtulant. Laborem
Nempe tu favoribus
Fortunæ honeſtas. Altera, imperantûm
Eſt labor; ſed altera
Regum manus, Fortuna. Utraque tutus
Conſtat orbis Imperî;
Neutrâ ſatis felix. Utrâque mundi
Fræna tractat AUSTRIA:
LUIDPOLDE, utrâque patriam gubernas.
Attamen nihil Dea
Tecum laborat cœca, quæ coronis
Semper inſtat invida,
Regumque; ſceptra calcat, & furente
Regna vertit impetu.
Sed illa, quæ Tonantis annuentis
Eſt miniſtra provida:

Quæ

Quæ ſola Reges ungit, & ceroma
Frontibus ſubingerit,
Oſtroque tingit purpuras, & auro
Sceptra Regum inebriat:
Virgamque dextris inſerit, jubetque
Præſidere gentibus,
Regnisque jura ferre: quæ ſceleſtos
Regio thoro ejicit
Potente dextrâ: quæ beatitatem
Imperî coordinat,
Civesque blandâ ſtringit unione,
Martioſque ſpiritus
Ditat trophæis hoſtium, Tonantis
Diva Providentia.
Hæc ſceptra ſemper Austriæ miniſtris
Promovet favoribus;
Et cùm ferox in areâ theatri
Mars crepat tragœdias,
Victorias diſponit, & triumphos,
Et trophæa ſurrigit,
Sero nepoti in Martios calores
Præbitura aculeos.
Luidpolde, ſic te Numinis benignus
Servet Allemanniæ
Favor per arma, perque pacis auras;
Donec abnepotibus
Serò ſolutum Cœlites repoſcant.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXXVII.

Auſtriacum Imperium, quamvis impulſum ſæpiùs, neſcit ruinam pati, quia DEO *innititur.*

COlumna Cæſar Imperî eſt; ſed Cæſaris
Eſt baſis ipſe DEUS.
Sic tuta regna ſufferunt
Martis procellas, quæque ſanguineo minax
Impete perfidia
Perambulat provincias,
Cadaverumque meſſe vaſtatos agros
Impia dedecorat,
Et civitates ſtragibus
Buſtisque tumulat. Quidquid humanâ baſi
Nititur, ambiguum eſt.
Humana vis exterminat,
Humana quidquid exſtruit. Quidquid DEO
Nititur, hoc ſolidum eſt;
Nec fulmen horret Æoli,
Exercitusvé Martis, aut totos vaga
Agmina per populos,
Aut buſta, & ignes urbium.
Pereunt Nerones, Claudii, Tiberii,
Et Taciti, atque Probi;
Quos regio vulgi favor
Solio locavit. Nempè cùm deeſt baſis,
Percita turbinibus

Facilè

Facilè fatiſcit machina,
Mentita ſtare ſæculis. Non ſic tua,
Austriadûm columen
Leopolde, ſceptra labili
Stant nixa dorſo. Stirpis hæc quondam inclitus
Austriacæ genitor
Rudolphus Euchariſtico
In Pane ſtatuit. Inde per tot ſæcula
Firma columna ſtetit
Ignara labi, aut excuti.
Et ſæva quamvis ſæpè tempeſtas grave
Exitium minitans
Omni furore incurrerit;
Stat adhuc ſui ſecura, nec caſum timet,
Invidiâve trahi
In indecora funera.
Quin ſi Gelonus turbo Vandalicas agat
In fera bella minas,
Threſſæque Lunæ Boſphorum
In arma cogant; ſtabit Austriacæ Domus
Gloria nixa Deo,
Major procellæ turbine.
Annona belli eſt Panis Eucharisticus:
Iſte animis animos
Infundit: iſte dexteris
Addit vigorem, pectori robur, pedi
Neſcia fræna fugæ,
Conſtantiamque militi.
Hoc Pane pacis nititur florens vigor,
Perpetuusque dies
Tranquillitatis publicæ.
Sic, quæ fatiſcunt regna deſerto Deo,

Illa fovente Deo
Pati ruinam neſciunt,

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXXVIII.

Dum Principes alii alienis juribus ac dignitatibus ambitioſè inhiant; Auguſtiſſimus IMPERATOR *ad menſuram virtutis ſua vota extendit, &* *à* DEO *fovetur.*

QUò mentis expers Icare labiles
Impellis alas? quò fluidas agis
Incaute ceras, remigemque
Per medias Aquilonis auras
Manum fatigas? Tutiùs infimo
Solo jacebis. Qui nimis incitat
Ad alta mentem, provocabit
In proprium ſua damna fatum.
Volaſſe, paucis profuit; omnibus
Jacere tutum eſt. Lætius eſt iter
Per plana, quàm greſſum per alta
Hippotadæ ſtimulare regna.
Sed veſtra, magni, res agitur, Duces,
Quos obligatis copia cornibus
Honore ditat; qui ſecuti
Stemma patrum, ſolium & tiaram
Reges tenetis: quos tamèn acrior
Adhuc libido non ſatiabili

Calore

Calore adurit; queis parata
Regna novis cumulare regnis,
Et ſceptra ſceptris, & diadematum
Nexus coronis addere patriis,
Et faſcibus faſces jugare
Ambitio maleſana ſuadet.
Quêis in potentis divitiis Midæ
Anguſta ſemper pauperies domi eſt;
Niſi & ſitibundi propinquis
Eripiant ſua lucra regnis.
Quibus ſat unâ non tegitur caput
Unquam coronâ, ni diademata
Vicina deturbent, ſuisque
Imperiis aliena nectant.
Per alta greſſu tenditis, Icari
Lapſum daturi. Præcipiti ambitus
It calle; nec ſecurus auras
Inſequitur furor adjocantes.
Pulchrum eminere eſt: ſed diademata
Captare, turpe eſt, Quiſque tuis ſatur
Rex vive ſceptris. In ruinam
Regna gravant aliena regnum,
Trahuntque probrum; quod ſenio gravis
Nunquam vetuſtas eluerit ſatis;
Natisque centeni nepotes
Ludibrio repetant recenti.
Illud latentis conſcius arbiter
Verique vates ingero: *Principes*,
Ne quid nimis. Semper doloſo
Alta nocet petiiſſe niſu.
At te procacis neſcia ſpiritûs
Luidpolde virtus differat ætheri,

Nec regna, nec ſceptra ambientem
Plus nimio, capitisque vaſtum
Decus tiaram. Quos parit ardua
Virtus honores, quas merita exigunt,
Ambis coronas: ambientem
Juſta, DEUS ſequitur favore.
LUIDPOLDE, dum, *ne quid nimis* ambias,
Caves; quod æquum eſt, ſidera promovent.
Dextramque ſceptrum inſumit, aureûm
Ingenuam diadema frontem.
Nec inde (quamvis livor inæſtuet)
Verêre lapſum. Quæ tibi tempora
Frontemque ſponſavit coronæ,
Illa teget tua regna dextra.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM.

ODE XXXIX.

Feliciſſima bella ſunt, quibus DEUS *militat Regibus, Reges* DEO.

FRuſtra ſanguineo laurus acinace,
Fruſtra palma feri Martis atrociâ,
Atque irâ chalybis quæritur igneâ,
Ni ferrum pietas juvet.
Infauſto remeant omine prælia
Adverſante DEO. Lugubris in manum
Se taxus ſinuat, cùm ſine Numine
Martis laurea quæritur,
Cœlorum auſpiciis ingredere aream

Belli,

Belli, conſpicuam quiſquis adoream
Venaris, decimæ lucis avarior,
Famæque ambitioſior.
Sic Dux arma geras, ut ſimul agmina
Pro te Cœlituum prælia miſceant.
Bellum pro Superis conſere fortior,
Bellabunt Superi tibi.
O quantâ occubuit ſæpè tragœdiâ,
Quantâ clade potens ſemita militum,
Et vaſtum tepido ſanguine, & algidis
Texit funeribus ſolum!
Cùm confiſa ſuis agmina viribus
Numen deſtituunt, ſunt ſine ſpiritu
Caſſæ larvæ hominum; ſunt ſine robore
Vani in vulnera acinaces.
Nos haſtas trahimus, vim DEUS ingerit
Haſtis; nos gladios cudimus igneam:
Spirantes Lyparam; ſed chalybem hoſtium
In cœdes acuit DEUS.
Sit dextræ Herculeum robur, & inclitis
Martis nominibus vis Agamemnonis;
Abſit dextra DEI; nil valet Herculis
Robur, nil Agamemnonis.
Sit miles numero paucus, & hoſtium
Impar agminibus; ſed pia provido
Mens confiſa DEO: proteret Herculem
Inviĉtumque Agamemnona.
O felix nimium Mars tuus, AUSTRIA!
O LUIDPOLDE, tui fauſtior alea
Belli, cûi facilis prælia digerit
Certis auſpiciis DEUS!
Imples Imperium milite; militem

Sed virtute DEUS. Balthicus Herculem.
Hunc æſtus timeat, quæque rigentibus
Fervent bella Trionibus.
Hunc, quæ de Geticis ira paludibus
Educta implacido milite fulminat,
Et delubra DEI gaudet inhoſpita
Buſtis in ſtabula urere,
Hunc Martem timeat. Tuque ferocium
Semper fœta parens Thracia militum
Sævas pone faces, atque Othomannicæ
Frænos injice tigridi.
Fruſtra es. AUSTRIACIS excubias agit
Numen CÆSARIBUS; Numen acinaces
Cudit; ſubſidio Numen adeſt; ſimul
LUIDPOLDO agmina Cœlitum
In pugnas veniunt. Cornua ſubtrahe
Infelix nimium Luna: ſeverior
CÆSAR terga premit. Proripe te ſolo:
Stant pro CÆSARE Cœlites.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XL.

Feliciſſimus eſt Imperator, qui à ſuis ſubditis diligitur.

ARs eſt maxima Cæſarum,
A cive, & populo, & milite diligi.
Qui vult ſceptra perennibus
Auguſta imperiis; dictet amantibus

Leges

Leges civibus. Interit
  Regnum, quando timor per populos meat.
Quis de rupe Caryſtia
  Cæſus tam rigidi marmoris indolem
Sævo pectore miſcuit,
  Immanivé leâ proditus, in fibras
Hæmi marmora ſorbuit,
  Et cum lacte petram Taygeti bibit,
Qui non frontis ad irides,
  Ad luſûs cilii, ad ſidera luminum,
Ad vultûs Charites, labri
  Ad riſus faciles pectore tigridem
Immitemque Scytham exuat
  Et ſedem placidis cedat amoribus?
Ipſæ blanditias feræ
  Getulæ capiunt; Marmaricam Leo
Compeſcit rabiem, manu
  Si tractes facili. Pardus Achaicæ
Ponit fræna licentiæ,
  Si vel blanditiis tergora mulceas,
Vel popyſmate lenias.
  Huc curſu populus confluit, unde ſe
Pandit gratia Principis.
  Hæc magnes animi eſt, ferrea pectora
Emollire potentior:
  Hæc eſt Herculei firma catenula
Oris, quæ domino tenet
  Mentes imperio, quaque lubet, trahit,
Nunquam difficiles ſequi:
  Seu per teſqua reis ſentibus obſita,
Fumantemvé perennibus
  Ex orco genitis Trinacrin ignibus:

Seu per devia rupium
  Obſeſſa inſidiis. Nam quid amantibus
Unquam difficile eſt? Amor,
  Nec flammas metuit, nec fera murmura
Obſtantis pelagi, aut juga
  Audacis Sypili; nec jugulantium
Arma incenſa cohortium.
  O felix nimium CÆSAR! in aureos
Diſceſſure dies! cui
  Vectigal populus pendit amoribus,
Pro te, vel tibi ſedulus
  Juratusque mori, & mœnia pectorum
Sorti opponere pertinax;
  Si vel de Getico Vandalus æquore
Martis claſſe ferociat,
  Vel nubes Scythico fulmine turgida
Palantes Othomannidas
  Cogat compoſitâ in caſtra potentiâ:
Vel mundus tonet ultimam
  Crudeli AUSTRIACIS Marte tragœdiam.
Hoc, LUIDPOLDE, tuum eſt decus
  (Quæ ſola AUSTRIADÛM eſt gloria Principum)
Fundas regna in amoribus,
  Et conflata tenes pectora civium.
Non ſpectaris, & intimos
  Infrænas animos, & domino rapis,
Quò vis, imperio. Sequi
  Nec quiſquam dubitat juſſa ſuavia.
Narraris populo; occupas
  Mox deſiderio pectora; Civium
Præſens vix oculos ſubis,
  Jam mentes penetras CÆSAR AMABILIS.

Qui

Qui te ſpectat, amat; neque
Se ſcindi tolerant, diligi, & aſpici.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XLI.

Quàm ægrè patiuntur monitorem Principes, tam facile virtutis monitis vivit
LEOPOLDUS.

Difficilis medicina malo eſt, ubi corripit tiaram,
Aut infulatum verticem imperantis.
Cui, non pauca libent; vult, quæ libet, hæc ſibi licere;
Potentiam, licentiamque paſſu
Ire pari; quantumque poteſt, ſibi poſtulat licere.
Licentioſus genius hic potentûm,
Nec patitur frænos, nec ſe ſinit arte, vel lupato
Conſtantem honeſti retrahi ad tenorem.
Vivida magnanimis eſt mentibus indoles, latetq;
Sub corde flamma bulliens caloris:
At cùm poſſe videt, quodcunque libet; tenetur ægrè,
Ne ſe nocivo incendio relaxet,
Erumpatque ferox, & vivida comprehendat urbes,
Magnæque gentis funera inquieto
Igne ſerat; civesque premat, regionibusque ſortis
Ferat ſuprema vulnera. Hoc malorum

Regibus eſt ſummum, quàm plurima poſſe; ſed carere
Duſtore honeſti, qui modo & tenore
Flectat virtutis; cujus documenta temperata
Admittat aure, quique poſſit ore
Liberiore loqui, nec Principis excitet furorem.
Bonus Magiſter mitigat Leones,
Armeniasque tigres. Si Rex ſemel excutit lupatos
Modumque honeſti; quà lubet, ſolutis
Legibus incedet. Nam quis moderabitur calorem,
Ferociamque mentis æſtuantis?
Non patitur leges, qui ſe dare jura novit orbi,
Ni lege virtutis coërceatur.
Hac lege AUSTRIACI felicia ſceptra protulerunt
Ad uſque Gades, ultimamque Thulen.
Hac ſequeris LEOPOLDE viâ, Patribusque par, Avisque
Arces ab Auguſtis nefas Coronis,
Immunemque animam ſervas, probitatis æmulator,
Imago viva Maximi Parentis,
AUSTRIACÆ tutor Pietatis, & Æquitatis hæres,
Tua acta juſta ponderas bilance.
Sola tibi virtus monitor, tibi ſola lex honeſtas,
Nec indiges aut corrigi, aut moneri,
Qui nullâ Auguſtæ frontis diadema labe ſignas.
Hinc auguramur Imperî ſecundo
Sole laboratos annos, facilemque Pacis auram,
Tranquilla civium otia, & quietem.
O Superi! augurium populi, famulique vota mundi
Deſideratâ pace proſperate.

AD

AD REGES ET PRINCIPES.

ODE XLII.

Certa ruina imminet regnis, in quibus non lege, ſed licentiâ vivitur.

SI quidvis liceat civibus, & militibus; perit
Fortuna Imperii. Non ſatis eſt tutus ab altero
Miles milite: non à ſocio cive domeſticus
Civis tutus erit. Quando poteſt fœda licentia
Id, quodcunque libet, legibus ablata potentia eſt.
Quidquid vis poterit (ſancta licet jura redarguant)
Æquum eſt, quod libitum eſt. Nobilium prava licentia
Vim legum ſuperat, nec patitur ſe violentiùs
Cogi in fræna furor. Vos, quibus eſt in ſociabiles
Gentes imperium, quique juga imponitis urbibus
Et leges populis, qui dominis nutibus inditis
Terrorem famulis gentibus, & ſub juga creditos
Arctatis populos; vos, nimius ne furor opprimat
Legum præſidium, luminibus pervigilantibus
Curate aſſidui. Certa ruina eſt diadematis,
Et regni excidium; ſi impatiens vivere legibus
Antiquis populus pro arbitrio, proque libidine
Decernat, jubeat; conſtituat, publicet, ordinet,
Et lex una ſit hæc, excidium indicere legibus.

Tunc nempe ambitio fœda, viris invida fortibus,
Vicini impatiens imperii, lenè volantibus
Per calcata Ducum terga calens ire curulibus,
Evertet patriam, decutiet ſceptra potentium,
Oſtrum deripiet, ſuffodiet cum ſolio domos
Auguſtosque lares, Tunc quoque tabentis edacitas
Livoris rabido per populos dente ferociet;
Et quidquid nitidum eſt, quidquid & alto ingenio eminens,
Aut virtute potens, in tenebras luminis invidæ
Noctis conjiciet. Tunc rabies non ſatiabilis
Regum funeribus; tunc ſoboles Eumenidum furor,
Atque orci Furiæ, ſeu pice, ſeu ſulphure dexteras
Armatæ, ſubigent nobilium tecta Quiritium,
Pacemque excutient. Vis poterit quidlibet. Æquitas,
Et damnata Themis ſe rapiet rurſus in æthera
Deteſtata ſolum: cana fides, virgineus pudor,
Et morum probitas, integritas, candor, & innocens
Pax, & cura boni, & civica concordia, Numinis
Cultus, Relligio, conſilium, & candida veritas
Se mundo eripient. Sed venient jurgia, prælia,
Luxus, ſtulta fames divitiarum, impietas, doli,
Et quidquid ſcelerum turpis habet Styx Acheronticis
Enatum tenebris. Si vitiis imperium tuum
Rex immune cupis, prævalidam tolle licentiam,

Quales

Quales AUSTRIADÆ jam ſenibus legibus imperant,
LUIDPOLDUSQUE ſuos in populos jura benignior
Decernit. Nitidus regni oculus Lex, & amabilis
Fons eſt juſtitiæ: Regia mens, & Sapientia,
Cuſtos imperiorum, ac animus publicus urbium
Libertatis opus, vita Rei-florida publicæ,
Murus diſpoſitæ perfidiæ non penetrabilis,
Cor & vena boni. Magnanimi hinc diſcite PRINCIPES
Tractare imperium; ne tacitis prava licentia
Irrepat gradibus, tot ſcelerum mater, ab AUSTRII
Legem Principibus ſtemmatis hanc accipite unicam;
Ut ſemper ſua ſint nobilibus robora legibus.
In lapſum Imperium præcipitat, cùm ſine legibus
Tractantur populi; cùm licitum eſt quidlibet omnibus.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XLIII.

Auſtriaca Imperatorum clementia ſemper habet ſuorum regnorum felicitatem.

ANtiqua vates Regibus occino.
Quot ſceptra dextrâ, quot diademata

Fronte exciderunt! quot potentûm
Oſtra Ducum malenata turpes
Ivere in umbras! quot miſerabili
Fato perempti ſanguine ſemitam
Ad fata tinxerunt, ſuâque
Præcipites abiêre ſede!
Sed nempe ſanguis ſanguine penditur.
Vox innocentis funeris ardua
Perrumpit aſtra, & judicanti-
-Affuſa DEO vocat ultionem.
Quidquid nocentis dextera Principis
Peccat, Tonantis fulmina vindicant,
Potentiorque per potentûm
Colla DEUS ſua tela jactat.
Quem membra juvit vellere civium,
Et bellicoſum ferre cadaverum
Pedem per aggeſtos acervos,
Ille pari nece fulminetur,
Dextrâ Tonantis vindice. Nullius
Tam vile collum eſt, crimine ſi vacet,
Ut ultionem provocare
Non valeat vigilantis orbis.
Sceptrum inſecundum barbarus obtinet,
Clemens ſecundum Rex habet. AUSTRIÆ
In Cæſares mentem revolve:
Quàm facili moderantur orbem
Utrumque nutu? Nempe benignitas,
Clemensque magni pectoris indoles,
Et dextra ferri parca, pronum
Numen habet, facilemque ſortis
Bonæ meatum. Non memoro patrem
Gentis RUDOLPHUM, deliciumſui

Regni,

Regni, nec ALBERTI benignas
Mentis opes, neque FRIDERICI
Clementioris pectoris indicem
Serenitatem, nec venerabilem
MAXMILIANI lenitatem,
Nec placidos, LEOPOLDE, magni
Mores parentis, quos procul Imperî
Vidêre Patres; quos veneratus eſt
Et victor æquè & victus hoſtis
AUSTRIACO minitatus Iſtro.
Tu Patrum adæquas nomina propriis
LUIDPOLDE factis, mitior aſpici,
Clemens videri, mellearum
Plenus apum, Charitumque plenus.
Hinc æſtuantis pondera ſæculi,
In te recumbunt. Nemo beatiùs
Dat jura mundo, quàm tumentem
Qui cilii bene preſſit arcum,
Mitemque frontis prodidit aream,
Et ora blandis riſibus induit;
Conſtansque deſpondit benigno
Alloquio geniale nectar,
Ferrique parcis legibus imperat,
Largisque amorum. Huic ſæcula devovent
Æterna cives, ſubditæque
Huic decimant ſua luſtra gentes
Semper paratæ in funera, Principi
Vitam ut reſervent poſterioribus
Annis recentem; ac imperantis
Luſtra ſuis cumulare luſtris
Votis repoſcunt. Quanta ſuperſtitem
LUIDPOLDE, cernent ſæcula te tuis,

Dum ſubditorum quiſque luſtrum
Sponte tibi dicat in tributum.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM.

ODE XLIV.

Unitas religionis concordiam civium, diverſitas voluntatum diſſidia & Imperii ruinam creat.

AUdite Reges; tuque Alemannici
Vindex honoris, gloria Cæſarum,
LUIDPOLDE CÆSAR, flos parentum,
Spes patriæ, decus AUSTRIORUM,
Audi loquentem. Relligione ſtat
Quies, ſalus, concordia civium.
Reſpublica eſt navis. Fatiſcit
Si tabulam tabulâ revellis:
At fluctuantes integra Nerei
Proſulcat undas, & lateri incubos
Fert tuta ventos, & ſecundis
Per domitum natat æquor auris.
Concors voluntas, unio civium
Conſervat urbes: Imperia eruunt
Sciſſæ voluntates. Quot ampla
Diſſidiis periêre regna!
Diviſa mentes relligio ſecat.
Quos quiſque ritus diligit, hos fovet.
Diverſitas ſententiarum
Litigium parit actionum.
Humana quando conſilia avio

Cur-

Curſu feruntur, robora civitas
Antiqua perdit, & vigore
Deſtituit ſua membra virtus.
Et conſtiturum credimus Imperî
Diu virorem, ſi variet fides
Cultusque cœli, & ſentiendi,
Quæ libuit, liceat poteſtas?
Erramus. Una hæc pectora civium
Catena ſtringit; Relligio, & Dei
Cultus verendi. Hanc tolle, totum
Imperio decus abſtuliſti,
Sceptroque vires. Sic malè prodita
Ægyptus olim multiplici Deûm
Cultu perivit; quæque ſtabat
Aſſyrio metuenda Marti,
Domeſticorum ſeditionibus
Convulſa obivit. Sic Oriens ſuo, eſt
Cruore merſus. Cujus arma
Finitimæ timuêre gentes;
Ille impiorum turbine rituum
Sciſſus Tyranni ſub juga concidit;
Quique exterorum non pavebat
Arma, ſuos hebetavit enſes
Per ſciſſionem & jurgia civium.
Sic Roma quondam multiplices Deûm
Sectata ritus, per cruentas
Acta neces grave ſæpè pondus
Tulit, Tyrannos. Quid memorem tuos,
Germane, faſces? quidvé Alemannicæ
Potentiæ auguſtale? quantâ
Depoſitæ jacuêre clade
Gentes & urbes? diruta mœnia,

Tur-

Turres ſepultæ, oppreſſa potentia
Provinciarum, buſta agrorum,
Et patria in cineres caduca;
Poſtquam nocentis Dux ſapientiæ
In Vaticanum prælia Principem
Exſuſcitavit, & ſacratis
Excidium properavit aris?
O, qui potentis fræna Alemanniæ
LUIDPOLDE tractas; cûi DEUS indidit
Zelum parentum, quem educavit
AUSTRIACÆ pietatis igne;
Tu criminoſæ fræna licentiæ
Impone tandem; tu patriæ ſacros
Repone cultus; tu parentum
Redde fidem, veteresque cultus.
Pacem repones civibus, urbibus
Tranquillitatem, faſcibus auream
Securitatem, mobilique
Imperio ſtatues quietem.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem
LEOPOLDUM.
ODE LV.

Regnante Leopo*LDo* Mart*Is* f*V*ror *s*IL*eb*It*,*

EXeſte Martis prælia; fulgura
Exeſte ferri. CÆSAR olivifer,
Pacique juratus coronam
Imperii LEOPOLDUS implet.
Videtis? an me pompa ſerenior
Deludit auræ? Jam bifores poli

Val-

Valvæ recedunt, atque amœno
Pax vehitur trabeata cinctu,
Latèque olivas ſpargit, & impium
Affata Martem; Quid toties, ait,
Hæmo evolutus Concanorum
Agmen agis, Geticoque ſævus
Germana ferro rura perambulas,
Mixturus Iſtrum ſanguinis alveo,
Lycumque, Rhenumque; & per omnem-
-Impunè plagam poſiturus acris
Trophæa belli? Quid face Vandalos
Armas furores, & calidam ingeris
Iram medullis? Quid retractum ab
Imperio malè ſauciato
In Sarmatarum viſcera acinacem
Crudelis urges, Viſtuleas ſuper
Ripas locaturus trophæa, &
Sarmatiam domiturus armis?
Quid ſpe vorati terga Boryſthenis
Bellona tentas? quidvé, Polonicæ
Jurata libertatis hoſtis,
Vincla paras manicasque genti?
Quid portuoſæ littora Daniæ,
Et Cherſoneſum Cimbricam inutili
Siti fatigas, Vandaloque
Igne premis, Geticoque ferro?
Exeſte, cœli dedecus ultimum,
Terræque probrum, progenies Stygis
Bellona, Marsque, exercitusque
Indomitæ famulatus iræ;
Quos viperino ſemine prodidit
Parens Enyo; quêis labra toxico

Medu-

Meduſa tinxit, & veneno
Cerbereo vitiavit artus.
Exeſte larvæ, prodigialium
Satus parentum; monſtra decentium
Nata in ruinam Gratiarum; &
Imperium vacuate ferro.
Adhuc parabat plura: ſed ilicet
Mars longioris non patiens moræ
Confregit haſtam, Balthicisque
Arma vadis furiata merſit,
Fugâque raptus præcipiti nives
Hæmi ſubivit: territa, acinace
Bellona rejecto, nivale
Theſſaliæ repetivit antrum.
Tunc accinentûm Pax tibi Cœlitum
Stipata turmis, imperii leves
Precata curas, imperandi
Auſpicium, LEOPOLDE, plauſit.
Tibi ſerenis, inquit, ab orbibus
Miniſtra veni Pax, niveis latus
Annis coronata, & fideli
Imperii vetitura lapſum
Choro Dearum. Per me adamantina
Ferro reficto ſæcula in Auſtriam
Rurſus migrabunt, & liquenti
Melle vagus properabit Iſter.
Me fas coronat; me duce fauſtitas
Reviſit urbes, oppida Gratiæ;
Felixque Amalthea AUSTRIORUM
Rura ſubit, riguoque campos
Perfundit auro. Me duce veritas
Redux in aulas limina fraudibus

Oc-

Occludit, & mendace larvâ
Compoſitas vetat in theatrum
Prodire technas. Me pietas propè eſt,
Candorque morum Juſtitiæ comes,
Fides, ſalusque, ſanctitasque, &
Propoſiti ſtudioſa virtus,
Tuis quietos imperiis dies
Ductura ſemper. Fallor? an aureum
Jam fama regnum narrat Afris,
Teque rubro, LEOPOLDE, ponto
Mauroque & Indo, & Theſſaliæ ultimis
Magnum renarrat ſideribus? Pigro
Quà ſe Bootes igne volvit,
Quà Libyes canis urit agros,
Dicêre magnus. Jam tibi Thracius
Hæmus ſupinis frondibus annuit,
Tuumque adoratura Numen
Æmathii ſacra ſerta Pindi
Lauros reclinant: Jam tibi ſæcula
Aurum elaborant. Sic diademata
Quieta, tranquillumque ſceptrum
Pacificus tenet Imperator.

Ad Auguſtiſſimum Rom. Imperatorem
LEOPOLDUM.

ODE XLVI.

PANEGYRIS

AUSTRIACORUM CÆSARUM, *quorum omnium compendium eſt Auguſtiſſimus* IMPERATOR LEOPOLDUS.

QUæ ſcena rerum? quod mihi panditur
Regum theatrum? quis radiantium

Fulgor coronarum, Ducumque &
Archiducum venerandus ordo?
Hæc illa magni curia nominis,
Auguſta multis AUSTRIA Regibus,
Atlantes Orbis, ſanguiniſque
Magne tui, LEOPOLDE, fontes.
Quis te, quis iſthic non videt AUSTRIÆ
RUDOLPHE gentis gloria, & incliti
Aurora regni, & grandiorum
Non humilis Cynoſura honorum?
Qui primus altas Imperii ſuo
Fulgore noctes exilio dedit,
Longùmque faſces evagatos,
Et trabeas ſine lege raptas
Collegit in ſe; qui grave ſæculi
Pondus labantis ſuſtinuit manu
Ferroque; regnorumque lapſus
Conſilio & pietate cavit.
Hic ſubjugato fortior æmulo
ALBERTUS, inter præmia frontium
Auguſta magnarum, perenni
Fixa cedro enumerat trophæa.
Hìc FRIDERICUS, Cæſareo minus
Spectandus oſtro, quàm venerabili
Vultûs honeſtate, & decoro
Lacte genæ, minioque frontis,
Ultro paciſcens in ſocialia
Sceptra & coronas advocat æmulum,
Gaviſus alterno ligatas
Imperio cohibere gentes.
Huc eruditâ Pallade nobilis
ALBERTUS intrat, ſeque vocantibus

Fruſtra

Fruſtra coronis allaborat
Subtrahere, attonitamque dextram
Negare ſceptris. His & olivifer
Se FRIDERICUS ſedibus ingerit,
Pacique juratus quietum
Imperii diadema monſtrat.
Hîc & propinqui ſtat patris ad latus
MAXMILIANUS, falx Othomannidum;
Et detriumphatam timendis
Sub pedibus jubet ire Lunam.
Quis ille verò quem propè penſilis
Centum coronat gloria laureis?
Centumque cûi figit trophæa
De domito reparata mundo?
Agnoſco vultus, CAROLE, regios,
Manumque frænis orbis idoneam;
Quæ preſſit Indos, quæ tumentes
Armeniæ ſuperavit arces:
Quæ fudit Afros; quam Libye horruit;
Cujus recenſet lætior arduas
Europa lauros; quæ ſubacto
Oceano impoſuit lupatos.
En FERDINANDUS pacis amantior,
Potensque bello, cûi capitis minor
Se Luna flectit; quem fugatus
Marte ferox Solimannus horret:
Idem innocenti pectore candidus,
Et militari pulvere ſordidus:
Idem Imperator, ſubditusque
Ipſe ſibi, dominusque mundi.
En alter, orbis gratia, & Auſtriæ
MAXMILIANUS gemma, Alemanniæ

Bellis

Bellis fatigatæ levamen,
Eloquii benè culta Siren,
GERMANIÆ COR, DELICIUM omnium.
Hîc te ſubacto Biſtone Pannonum
RUDOLPHE ſpecto, ac Auſtriarum
Præſidium columenque rerum,
Quem Raba adorat, quem Rhodopæiæ
Lunæ verentur, quem pavidis timent
Thraces ſub armis; qui tyrannum
Calce premis domino Sinanem.
Hunc ponè frontem riſibus explicas,
Et liberalem in munera dexteram
MATTHIA inauras, & Muratis
Ac domiti Mehemetis iras
Victor refrænas. Tu quoque acinacem
In impiatæ colla proterviæ
SECUNDE ſtringis FERDINANDE, &
Hæreſeos fera colla truncas;
Victorque Pragam hinc, hinc Madeburgicum
Buſtum tueris; quæque Britannicis
Effuſa ab antris larva Regis,
Non iterùm reditura, terris
Cedit Bohemis. Hîc quoque TERTIUS
Stat FERDINANDUS, cûi ſapientia
Humana, cœleſtiſque cornu
Munifico vacuavit omnes
Scientiarum in pectora gratias;
Quem Mars per atris horrida ſtragibus
Theatra duxit, quem ſubacta
Horret adhuc, trepidoque ſpectat
Norlinga vultu; quem neque riſibus
Fortuna movit, nec lachrymabili

Fune-

Funeſta leſſo: ſeu ſecundis,
Seu tragicis ratis iret auris,
Conſtans eâdem fronte ſerenitas
Ore emicabat. nec facilis levem
Nictum excitavit; nec ſiniſtra
Magnanimo gemitum imperavit.
Huc & parentis delicium breve,
Breviſque magnæ ſpes Alemanniæ
Se FERDINANDUS QUARTUS urget;
Quem Charites comitantur omnes;
Vultûs honeſtas, oris amœnior
Scriptura, frontis culta modeſtia,
Mitiſque geſtus, melleique
Alloquii veneranda Suada.
O magna terræ Numina! Sidera
O magna cœli! quêis poterit nihil
Videre majus, ſeu reſurgat
Phœbus aquis, mediové ſiſtat
Cœlo ſerenus; ſeu mare languido
Curru ſubintret: Vos, quibus Imperî
Ceſsêre lauri, gloriæque
Omnis honor, trabeæque, & oſtra,
Vos inſequentem, conſimilem ſuis
Avis nepotem, nec merito imparem
Spectate LUIDPOLDUM: tuoſque
Tu pariter LEOPOLDE Patres
Specta viciſſim: quos diadematis
Honore adæquas; hos quoque ſanguine, &
Virtute conſtans æmularis:
Quoſque doles obiiſſe, rurſus
Expergefactos funere, patriæ
In te reponis Quidquid amabile

Spe-

Spectavit orbis, quidquid ingens,
Magnanimum, decorumque avarum,
Cœleſte quidquid, multiplicabili
In te rependit gloria fœnore.
Compendium unus es priorum
AUSTRIADÛM, LEOPOLDE, Regum.
Sed tu ſupremam non priùs aſſeri
Contende in aulam, quàm populi expleas
Vota obſequentis, atque Avorum
Par meritis, ſuperes & annos.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XLVII.

Felix conſtabit Reſpublica, ſi literæ armis conjungantur.

HEu, quanti cineri ſuo
Incumbent populi, ſi ſapientia
Non frænaverit impetum
Regum! ſi calido ſcribat acinace
In cives violentiam
Mars legum impatiens! Sic generoſior
Virtus exerat impetum,
Ut fræno teneat vim ſapientia.
Non eſt, ut populo placet,
Turpis ſegnities indita literis
Non eſt ſic Academici
Belli pulvis iners, ut pavidam educet
Gentem in publica commoda.
Haſtam non timidâ Diva gerit manu

Pal-

Pallas, ſed ſapientiâ
  Vaſtum fœta caput. Spicula corripit
Intentanda Gigantibus,
  Phlegræamque replet ſtragibus aream,
Et Pythona volantibus
  Configit jaculis Phœbus; at ungulæ
Poſtquam de latice ebrius
  Blandum Sicelidum carmen inaudiit,
Roburque inſuperabile
  A plectro, & cytharis, & fidibus bibit.
It fortis Macedo, ferox
  Perſarum domitor, quaque ſuum trahit
Martem, depcſitæ jacent
  Urbes & populi; quà ſua fulmina
Jactat, laurea provenit;
  Sed poſtquam Iliadi indormiit. Igneis
Martem Sparta furoribus
  In campum ſtimulat, ſeque perennibus
Victrix perpetuat cedris;
  Sed poſtquam excierit carmine ſpiritus,
Ingentesque animos ſacris
  Muſarum induerit. Sic ſapientia
Semper prælia proſperat.
  Chironis ſtudium format Achillea:
Fortes Muſa viros parit.
  Audis, cûi populos ſubdidit Imperî
Majeſtas, LEOPOLDE? ſi
  Non terrenda cupis pectora publicis
Rebus, ſi tragicis viros
  Sortis turbinibus cudere Martios;
Muſis hoſpitium para,
  Et docto patriam deſtina Apollini.

Hic fortes animos creat,
    Dum mentes ſtudio Palladis imbuit.
Mentis non ſapientis eſt;
    Horrere, & pavidas fingere imagines.
Pallas phaſmata corrigit,
    Atque umbras animi; reſque coloribus
Omnes reſtituit ſuis.
    Monſtrorum ſpecies prodigialium
Ignorantia fabricat.
    Deme adſcititiam vi ſapientiæ
Veris rebus imaginem;
    Nil eſt, quod trepidis corda timoribus,
Aut umbris animum urgeat.
    Intellectus agit bella: ferocia
Eſt confuſio. Pectori
    Flammas Herculeas, vimque Agamemnonis
Mens exculta ſcientiis
    Addit; ne tragicæ ſortis ad impetum
Unquam territa concidat.
    O quàm magnanimos in fera prælia
LUIDPOLDE exacues viros!
    Addo: quàm validos conſilio & manu
Gignes Imperio viros!
    Si Muſas, animi nobiſis arbitras,
Muſarumque propaginem
    Paſcas Cæſareis ſemper amoribus.

Ad

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM.

ODE XLVIII.

Munificus Princeps liberalitate ſuâ emit populorum affectus, & vitam prorogat.

CUî multa largis copia cornibus,
Et liberali contulerit bona
Fortuna dextrâ, liberali
Munificus, LEOPOLDE, Princeps
Manu profundat. Munera, ut effluant,
Manante venâ Regibus affluunt:
Quoque amne ſe infundunt, eodem
In populos decet enatare.
Fortuna Regum, eſt Oceanus; cui
Tributa ſolvit rerum opulentia;
Natura cui vectigal auri
In miſeros dedit erogandi.
Exaggeratis in mare confluit
Multus per amnes Nereus alveis;
Sed non redundat, nam quot amnes
Se glomerant, totidem refundit.
Quâ parte donat prodiga Regibus
Fortuna gazas, hac popularium
Reges querelarum moleſto
Subveniant oneri; ſuumque,
Si multa donent, hoc reputent lucrum.
Nam ſic amores, cordaque civium
Felice cenſu nundinantur;
Sic hilaris dare quiſque morti

Pro Rege vitam gaudet, & auream
Bene elocato ſanguine gloriam
Emiſſe geſtit, præbitumque
Æs rigido reparaſſe ferro.
Cadmæa ſurgit meſſis, ubi cadit
De liberalis munere dexteræ
Aurum; Codrique, Mutiique, &
Scipiadæ revocantur altis
In bella ab umbris. Quod ſenio putre
Ferrum jacebat, non malè nobili
Limatur auro. Quà refulget
Æs, facilis manus urget arma;
Novosque forti non pudet Hectoras
Jurare Marti, cùm ſtrepitus magis
Sonat metalli, quàm tubarum,
Vel monitum grave tympanorum.
Hoc fine tellus ſe tibi fertili
Sternit tributo; ſeu Cererem velis
Flavis coronatam maniplis,
Seu riguum LEOPOLDE Bacchum.
Hoc fine montes largiùs eruto
Florent ab auro; hoc fine opulentia
Sonantis argenti, & metalli
Magne tuis LEOPOLDE regnis
Infuſa quondam ſemper amabili
Venâ refloret, quam neque pallidus
Foſſor ligonis per labores,
Per decies revoluta ſecla
Haurire poſſit; munificentiâ
Ut regna dites, pectora civium
Emas tuorum, ac erogato
Ære acuas generoſa Martis

In

In bella ferrum. Fortior eſt chalybs
Acutus auro. Nemo Othomannidum
Ad fulmen horret, cùm patente
Dona fluunt opulenta rivo.
Sic non coactis quando ſonoribus
Se ſponte fundunt munera, & obvias
Neceſſitates non vocata
Præveniunt, populique lenta
Vota antevertunt, ſæcula Regibus
Emunt Sibyllæ, fataque prorogant;
Annosque Regi liberali
Quiſque pigro vovet ire cœlo.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum

D. FERDINANDUM COMITEM DE PORZIA, &c.

ODE XLIX.

Cùm Auguſtiſſimi IMPERATORIS LEOPOLDI *Supremus Aulæ Præfectus renunciaretur.*

PANEGYRIS.

FOrmare Regem qui potuit, poteſt
Præſtare cunctis. Non ego ſanguinis
Canam vetuſtatem renarro,
Non ſeriem aut numerum tuorum
FERNANDE Avorum; qui vel in obvias
Martis catervas, non ſine nobili
Vultûs cicatrice, irruêre,
Perque acies tonuêre dextrâ;

Vel quos verendi gloria conſilî
Mundi caduci rebus, & arduo
Togæ labori deſtinavit,
Non humiles Aquilarum Atlantes;
Qui commodârunt colla labantibus
Robuſta regnis, qui malè pendulam
Rem publicorum commodorum
Herculeo ſubiêre niſu,
Te, nil paterni ſtemmatis indigum
Laudisque Avorum, propria candido
Honore virtus, nobilique
Fama recens comitatur aulâ.
Centenâ Avorum illuſtris imagine
Prætexta quondam vix poſita eſt tibi,
Cæpitque creſcentem juventus
Egregios animare in auſus,
Jam tum potentûm ad limina Cæſarum
Dignus vocari, diceris arduos
Stoæ labores ambiiſſe, &
Socraticæ ſtadium Minervæ
Impendioſi curſibus ingenî
Cum FERDINANDO CÆSARE frangere
Cæpiſſe, virtutisque cultu
Cæſareos meruiſſe amores.
Latere virtus ſcilicet inſcia
Primis ab annis ſedula promicat;
Suique, quà ſplendet, benignos
Ingenerat violenta amores.
Maturioris pòſt ubi prodiit
Ætatis ordo, quantus in arduos
Provinciarum te labores
Abripuit generoſioris

Ar-

Ardoris æſtus! ſcit venerabilis
Cortina juris, conſiliantium
Tripus Senatorum, ſenumque
Ordo Patrum, cui Græcienſis
Se Diva lunat: ſcit tibi fertile
Oraculorum pectus, & uberem
Venam Senatûs, nobilemque
Conſilii melioris aulam.
Vidit Labacus, non ſine murmure
Adgeſtientûm in gaudia fluctuum,
Te jura dictantem, & ſeveris
Legibus imperium aſſerentem.
Lenocinatis inviolabilis
Stetiſſe donis dicitur æquitas;
Nec per favores, nec per iras
Æqua Themis poſuiſſe libram.
Et tu, feroces quæ ſuper Adriæ
Incedis undas, urbs generoſior;
Quam ſerva lambit Amphitrite,
Et dominam reveretur undâ
Nereûs ſupinâ; tu ſapientiam
Mirata vaſtis ponderibus parem,
Sibique conſtantem tenorem, &
Ambiguis bene conſulentem.
Rebus vigorem. Tuque ſerenior
Ocelle mundi, ſanguinis AUSTRII
Spes magna, terrarum voluptas,
Gemma tuæ, LEOPOLDE, ſtirpis,
Quem FERDINANDUS de teneris adhuc
Formavit annis, quamlibet indoles
Ætate major, ac acerbos
Judicium ſuperaret annos;

Tu FERDINANDI; vim ſapientiæ
Expertus es; ſeu te ad diademata
Faſceſque regnorum pararet;
Pondera ſeu gravium moveret
Negociorum. TERTIUS arduæ
Vim FERDINANDUS mentis, & inditum
Tibi Senatum, pectoriſque
Divitias opulentioris
Novit: PHILIPPUS novit: & ille te
Secretiorum concilio Patrum
Adlegit; hic per colla juſſit
Jaſonium radiare vellus.
Hinc te ſecutus CÆSAREÆ favor
Clementiæ, in te ſollicitudinum
Partem reclinat, & potentis
Conſilii grave pondus urget
Portare ſecum. Hinc denſa clientium
Procella te ambit, pulchraque Principum
Corona circumdat; tuoque
Arbitrio ſua quiſque vela
Agenda pandit. Devenerantium
Hinc te frequentant agmina civium,
Certantque ſe grato tumultu
Quiſque togæ inſinuare limbo.
Hinc & tuorum conſcia nominum,
Et fœta votis ſe tibi Pieris
Adſternit, & ſolers anhelat
Ante tuos obiiſſe vultus.
Admitte blandus ſupplicis obvia
Tributa Muſæ. Nil meritis quidem
Sat eſt: ſed & gaudet minori
Oceanus patuiſſe rivo.

AD ALEXANDRUM VII. PONT. OPT. MAX.

ODE L.

EVCHARISTICA

Pro impetrata, à Sereniſſima Veneta Republica, Societatis JESU *reſtitutione.*

AN noſtra tantûm res tibi, Maxime
Rex Vaticani, ac Optime Principum,
Eſt cordi ALEXANDER? tuique,
Quo pelagus, Styga, terram, & aſtra
Compeſcis, ultro Numinis obviam
Opem miniſtras? Nomine ſcilicet
Hoc, arbiter divina tractas
Jura Pater, ſolioque Judex
Sedes Quirino, noſtra neceſſitas
Una ut tuarum nobilis arca
Sit gratiarum? Te labantis
Cura rei, trepidique caſus
Mundi fatigant; te premit arduâ
Eccleſiarum ſollicitudine
Mars, belluoſo qui furore
Sarmaticos populatur agros,
Cimbrasque damno non reparabili
Deponit urbes; qui malè præliis
Commiſcet Anglos, Belgiumque,
Qui pelagus tabulante pinu
Vaſtum coërcet: Tu tamen omnium
Capax, tuorum magne clientium
Pater, reciſos ut reponas
Adriaci maris in theatrum,

Unum laboras. Scilicet omnium
Cùm te parentem cura vigil probet;
Nobis probaris grande Numen;
Noſque tui profitemur eſſe
Opus laboris, Tu placidam jubes
Ponto quietem; pectora tu occupas,
Noſtrique pertentas amore;
Tu veniam, veteresque ſedes
Diu negatas grandibus impetras
Sententiarum ponderibus Pater;
Tu gratiæ antiquæ repandis
In Patribus populoque venam.
Felicitatis, tu Pater, unica
Origo noſtræ es. Tu ſitientibus
Campum recludis, quo fidelis
Cura, labor, ſtudiumque noſtri
Excurrat ignis. Quod labor impiger,
Quod cura ſolers hîc operabitur,
Tuum eſt, ALEXANDER, tuoque,
Parva licet, tamen uſque grata
Merces amori. Quod redamantium
Poteſt facultas, hoc tibi pendimus,
Supreme Regum; impendioſæ
Obſequium ſtudiumque mentis,
Curas, labores, difficili dies
Sudore laſſos, pervigiles ſine
Sopore noctes, ſanguinemque,
Atque animas tibi dedicamus.
Jubebis? Ibit legibus addita
IGNATIANIS turba, periculi
Secura, per ponti furores
Adriaci, ſtudioſa Patris

Im-

Implere nutus: ibit inhoſpitum
Calcare Taurum, per Scythicas nives,
Hœmi per obſtantes rigores,
Per rigidas Aquilone terras.
Jubebis? Ibit, quà mare Caſpium
Deſpumat iras; quà gemino obviat
Freto Corinthus, quà natantes
Ionio Arabioque gentes
Parem biberunt fluctibus indolem,
Et mœſta patrum funera filii
Vrgere gaudent, proliumque
Cæde patres ſatiare guſtum.
Sic nos, timori cedere neſcios,
Et ferre promptos fulmina, & arduam
Mundi fatiſcentis ruinam
Herculeis humeris paratos
Subire, ſerva; ac Numine patrio
Auguſte Regum Rex tege, ſedulos
Laudes Alexandri docere
Solis ab Heſperio cubili
Ad uſque Gangem. Sic properantium
Te ſæculorum prætereat fuga;
Centumque poſt annos recurrens
Te ſtupeat ſupereſſe Phœbus.

Ad Sereniſſimam

REMPUBLICAM VENETAM.

ODE LI.

EVCHARISTICA

Ob receptam per ſtatum Venetum Societatem

JESU.

O Diva, Nerei ſeditionibus
Quæ fræna ponis, dum medio natas
Spectanda Neptuno, & ſuperbam
Adriaci maris Amphitriten
Tenes lupato; cûi vetus invidet
Patrum Senatum Roma, potentium
Mater Quiritum; quam ſecures
Juſtitiæ, Themidisque ſanctæ
Leges ſequuntur: ſi merui tuos
Subire vultus, deque Alemannia
Vates peregrinus verendos
Ante pedes poſuiſſe plectrum,
Hoc, Diva, vatem lumine conſpice,
Quo contueris fulgura ſiderum,
Solemque pendentem ſerenas,
Et radios rutilumque pendis
Cœlo tributum. Te genibus m nor
Adoro; Princeps; quam poſitâ Notus
Formidat irâ, quam veretur
Compoſitis maris unda rixis.
Non Martialis gloria nominis
Non fama belli, non Othomannicis
Infeſta lunis fortitudo,

Non

Non toties onerata Thracum
Virtus trophæis, non ſapientia
Felicitatis regula patriæ,
Non ordo Patrum purpuratus,
Non decorum ſtudioſa virtus
Huc me evocavit: quamlibet inclito
Semper refulſit nomine, poſteris
Narranda luſtris, gloriâque
Attonitum ſtupefecit orbem.
Illa, illa magni gratia pectoris
In nos reclinis, nec dubium tui
Numen ſerenatum favoris
Auſtriacas penetravit oras;
Omnemque latè ſplendor amabilis
Implevit orbem, quà ſibi roſcidam
Sol pingit auroram, ſenemque
Heſperio rigat amne crinem.
Nos illa terris evocat Auſtriis
Tui ſacratas Numinis hoſtias,
Et debitum cogit tributum
Supplicibus poſuiſſe votis.
Tu reſtitutos rursùs amabili
Sinu redonas; tu Venetas ſuper
Concedis undas ambulare,
Tu mediis radiare flammas
IGNATIANAS fluctibus Adriæ.
Antiqua menti ſcilicet ingeris,
Quæ pontus admiratus olim,
Quæ ſtupuit radiatus igne
Stellarum olympus: Cùm vigilantibus
LOIOLA flammis ſub Iove frigido
Dormiret; allapsâ Senator

De media regione cœli
Voce evocatus, pignus amabile
Collegit ultrò, & ſedibus intulit
Gaudens palatinis, cygnoque
Sancta dedit recubare membra.
Vetuſta Patrum reſtituis novis
Exempla, dum nos colligis exules,
Et nocte mœroris redemptos
Diva foves, facilique rursùs
Sinu reclines ſuſcipis Adriæ.
Sic nubiloſis eſſeda Cynthii
Qui texit æther involucris,
Cùm réfugas rediviva tergit
Matuta noctes, lætior ingerit
Se vultus orbi, & pulchra ſerenitas
Venuſtat auras, ſeque amœnis
Vecta rotis, mediis olympi
Infundit aſtris. Vivimus. hoc tuum
Eſt, Diva, munus. Noſcimus incubum
Pondus favoris : ſed referre
Par meritis precium vetamur.
At dum facultas deficit, optima
Factum voluntas ſuppleat. Eſt ſatis
Gratus, referre qui laborat,
Pauca tamen retuliſſe mœret.

Ad

Ad Reverendiſſimum & Excellentiſſimum Principem

D. CAROLUM CARAFFAM,

Epiſcopum Averſanum, S.D.N. ad Auguſtiſſimum Imperatorem LEOPOLDUM Nuncium Apoſtolicum.

ODE LII.

Ob adhibitam curam & induſtriam ad reſtituendum Venetiis Societatem JESU.

EUCHARISTICA.

QUâ te, CAROLE, ſiderum
 Inſcribam patriâ? quo remeantium
Aſtrorum gremio? Tuis
 Laſſatum meritis penè gemit ſolum,
Et ſe finitimis poli
 Immiſcet facilis gloria ſedibus.
Te Lucina ſerenior
 Excepit gremio, ſtemmate Principem, &
Per cunabula ſplenduit
 Majorum ſeries, dives honoribus,
Dives grandibus infulis.
 In cunas famulas gloria purpûras,
Centenasque Patrum mithras,
 Et ſcuta, & galeas fudit, & illitas
Patrum ſanguine laureas.
 Hinc Mars ſanguineam torvus amyſtidem
Gaudebat tenero dare

Potan-

Potandam labio, & pectora fortibus
Enutrire laboribus;
Et menti patriam infundere gloriam.
Hinc ſtipata ſororibus
Virtus Cœligenûm nectaris ebrium
Pôrgebat calicem: bibe,
Dicebat, phialam cœlitis otii,
Innubemque ſcientiam,
Et doctum ſolidæ lac ſapientiæ.
Hinc tu Palladis abdita
Pervadis calidi dotibus ingenî, &
Hoſtis deſidis otii,
Multarum titulis nobilis artium
Vincis plebis inertiam.
Te virtus ſequitur, non ſine murmure
Plaudentis populi: tibi
Servit blanda quies, & lateri comes
Veri gloria nominis
Famam perpetuat, ſeque ſtupentibus
Aſtrorum capitoliis
Immiſcere potens, te procul evehit
Inter nubila ſiderum.
Hinc, quamvis Venetis cura negotiis
Mentem diſtrahat, aſpicis
Nos pridem Adriacis finibus exules,
Et charo cupidos ſinu
Urbis reſtitui. Tu (nihil aggero
Virtutis precio, nihil
Adblanditus ago: celſior eſt tuus
Omni affectus hyperbolâ)
Tu, quamquam decumi mole negotii,
Et toto obrutus Adriâ,

Cura-

Curarum fabricas hanc tibi principem;
Ut, quod Romulei Patris
Sanctus mandat amor, littore diſſitos
Orbis delicio inferas;
Et frontes lachrymis, triſtibus obrutos
Vultus fletibus exuas.
Nempe & cura DEUM de minimis agit:
Nil non providus aſpicit,
Et vili paleæ ſedulus excubat.
Hoc ſeſe DEUS exhibet
Magnum, quòd minimis lumine provido
Impendat ſtudium. DEO
Accedis propior CAROLE, quòd gregis
Parvi ſollicitudine
Tangaris. Placido jam natat Adriâ,
Optatique tenet ſinum
Portûs noſtra ratis. CAROLE, ſed tui
Hæc eſt pars ſtudii: tui
In nos non meritos teſſera pectoris.
Tu per jurgia fluctuum
Juſſiſti placidis ire Favoniis
Innubes animas: tuo
Motus detumuit Numine Nereus;
Commotique licentiam, &
Rixas Oceani cumpoſuit ſopor,
Ut criſpum Zephyro mare
Iret depoſita nube ſupercilî.
Jam me, CAROLE, commones,
Quâ te parte poli, quâ tua nomina
Inſcribam redeuntium
Aſtrorum patriâ: quâ pater aurei
Phœbus luminis excubat,

Diſpen-

Diſpenſatque ſuas ſideribus faces,
Et ſe per radios ſolo
Subjecto inſinuat blandior, & roſas
Oſtro ac murice purpurat.
Hîc votis gravidus, non ſine conſono
Orbis murmure, CAROLI
Inſcribo titulos: Hîc agat aurea
Poſthac ſæcula CAROLUS,
Veſtitusque ſui lumine nominis
Ducat purpureos dies,
Et Patrum titulos Sol novus augeat.

AD SODALES MARIANOS.

ODE LIII.

In glorioſa B. Virginis Aſſumptione.

ASſurge Clio, remige ſidera
Tranſcende pennâ. quà vocat avola
Virgo triumphatrix, adurge
Pegaſeos mea Muſa niſus.
Quam ſpecto pompam? Solis in iride
Virgo refulget; cuî radii latus
Utrumque cingunt; quam coronat
Sidereo diadema cinctu:
Cuî Luna plantis cornua ſubjicit,
Premique gaudet; quam famulantibus
Tellusque, Cocytusque, & æther
Obſequiis Dominam veretur.
Hæc nempe Virgo, quæ pede vindice
Trivit chelydrum, quæ malè conſcium
Calcavit anguem, ac impiati
Furta patris meliore dono

Penſavit

Penſavit orbi : jam Capitolium
Subit triumphans. Huc age Virginis
Optata proles: ECCE SIGNUM
MAGNUM hilares micat inter ignes
Cœlique ſtellas. Hoc tibi ſidere
Manat bonorum copia. Candidæ
Horoſcopus felicitatis
Inde tibi micat, unde MAGNUM
SIGNUM pudicæ Virginis emicat.
Reclude vaſtum muneribus ſinum:
Jam denſa ſeſe depluentûm
Inſinuat via gratiarum.

NICOLAI AVANCINI
E SOCIETATE IESV
LIBER EPODON.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem

FERDINANDUM III.

ODE I.

EPITHALAMION.

Cùm Sereniſſimam ELEONORAM *Mantuæ Principem in conjugium adſciſceret.*

DUlcis Hymen ! Hymen adſis!
Occidentis urna Solis,
Mortui propago Phœbi,
Siderumque fuſca Mater
Nox ſerena, nox ſopora
Nox cupita , nox decora
Sole ſurgit exule.
Dulcis Hymen! Hymen adſis!
Quà nigrantis Imperatrix
Luna noctis ardet, ardet
Ignium cohors minorum,
Conſulesque luminoſi,
Solis igne cycladati,
Noctiluci Principes.
Dulcis Hymen! Hymen adſis!
Uſitata viſe rura,

Ac

Ac odoris officinas,
Floreique Veris aulam,
Quâ pruina liliorum,
Fax colorum, lux odorum
Æmulatur ſidera.
Dulcis Hymen! Hymen adſis!
Nuptialibus corollis
Deſtinata viſe rura;
Regiam quà ponit aulam
Flora Mater, & roſeta
Lacte cœli, lilieta
Rore ſpargit nectaris.
Dulcis Hymen! Hymen adſis!
Hoſpitalis te Favonî
Poſcit herba, poſcit unda,
Frondeosque per penates.
Clamat umbra, clamat aura,
Dulcis umbra, mollis aura,
Aura mater germinum.
Dulcis Hymen! Hymen adſis!
Te propago prima Veris
Dux colorum, dux odorum,
Luminum decora Siren
Purpurantibus labellis,
Aulicoque frontis auro
Gemma florum poſtulat.
Mantuanus Auſtrienſi
Sanguini ſe ſanguis addit,
FERDINANDO LEIONORA:
Grandis ille, ſuavis illa;
Ille juſtus, illa mitis;
Clarus ille mille ceris,

Illa

Illa mille Heroibus.
Æquitatis hic columna,
Comitatis hæc magiſtra;
Ille Cajus, illa Caja,
Ille Divus, illa Diva;
Ille ſtirpi Mantuanæ,
Illa ſanguini Auſtrienſi
Illigata amoribus.
Dulcis Hymen! Hymen adſis!
Suavis Hymen, quid moraris?
Audiorné, mollis aura,
Aura vena Fauſtitatis
Mitis afflat, & ſerenis
Lapſa cœlis, invocatum
Nube Numen anteit.
Dulcis Hymen! Hymen ecce!
Nubium tutus viator
Ludibundus adjocatur,
Dulcis Hymen, pulcher Ales,
Remiges huc vertit alas,
Blanduloque pennularum
Sibilat flabellulo.
Dulcis Hymen! Hymen ecce!
Ponè gemmeos capillos
Fauſtitas revincta nodo,
Nube picta diſcolori,
Picta Sole pulchriori,
Inter ignes ut minores
Alba Phœbe promicat.
Dulcis Hymen! Hymen ecce!
Ponè pacis alma mater
Serta nectit, æviterno

Alliganda

Alliganda ſerta nexu ;
Annuloſque de virenti
Atticæ ramo Minervæ
Illigat Concordia.
Dulcis Hymen ! Hymen ecce !
Cûi lyriſque barbitoque
Auſpicata plebs Amorum
Nuptialem ludit oden :
Sit perennis ille nexus,
Quem catenis gratiarum
Illigat concordia.
Dulcis Hymen FERDINANDO,
Suavis Hymen LEIONORÆ,
Vive gaudii architecte,
Nec rubentes igne tædas
Pertinacis ulla venti
Vexet ira, vexet udis
Triſtis Auſter imbribus.
Mater eja fauſtitatis,
Nata frangere æſtuantis
Martis iras, & furentûm
Sæva tela Concanorum,
Cruda bella barbarorum,
Huc beatos tende greſſus
Mille cincta gratiis.
Per ſerenæ lucis aurum
Mille luſtra FERDINANDO;
Mille ſcribe LEIONORÆ;
Regiaſque Cæſarumque
Necte prolibus coronas,
Auſtriæque Mantuæque
Mille mille laureas.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem

FERDINANDUM III.

ODE II.

Omen victoriarum ejus Belli-Duce Virgine MARIA.

QUis inſidentes flammeo ferro minas
  FERNANDIANÆ dexteræ
Tardare ſperet? ibit elatis tumens
  Quà fervet undis Boſphorus;
Et quà Propontis terga Tritonum gregi,
  Armisque ſubdit Nerei;
Quà bellicoſo vecta conchyli Thetis
  Sulcis arat Boryſthenem.
Ibit, bicorni lūna quà minax face
  Intentat orbi funera;
Geminumque cornu chalybe flammato metens
  Aris dicabit Inferûm.
Tum feriantes Cydnus exturbans aquas
  Ibit cruore decolor:
Lævisque Xanthi ripa, Trojani pavens
  Rediviva belli tempora,
Pigri pocellas ſanguinis ſinu vehet.
  Sanguine Scamander ſanguine
Fluet Propontis, ſanguine natabit freto
  Gemino Corinthus obvia,
Sanguine pigreſcent maria, Biſtonium Getæ
  Pingueſcet arvum ſanguine;
Mergetur omnis ſanguine, bicornis Deæ

Quiſ-

Quiſquis Sabæis nubibus
Obnubit aras, quiſquis à Luna fera
Didicit levare cornua.
Irata virtus Cæſarum neſcit pigro
Moveri in arma brachio.
Habet parentem Numinis belli Ducem:
Timete gentes! Integra
ACIES in una Virgine eſt. Habet Deum
Pridem parenti obnoxium,
Qui de furentûm turbine armorum graves.
Prædâ ſpopondit laureas.
Accinge magne CÆSAR Auguſtum latus
Mavortis irâ; ferreo
Accende dextram fulmine, & quà ſe trahunt
Othomannidarum cornua,
Hæmique moti barbarus jactat furor,
Fultus Getarum viribus,
Incumbe fortis. Certa ſpes palmæ micat,
Ubi Virgo caſtra digerit,
Et arma cœlum fulcit, & pugnantibus
Bona cauſa robur ſuggerit.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

FERDINANDUM III.

ODE III.

Præſagium ejus Triumphorum.

IO triumphe CÆSAR!
Audivimus ſonare,
Cùm nubium viatrix

Egreſſa fama terras
Pependit inter aſtra,
Et claſſicum trilingue
Animavit in canores.
Audivimus remotis
Secreta dicta terris,
Seu quas ſenex Ibero
Illuſtrat igne Phœbus;
Seu quas recentiore
Juvenis ſubit quadrigâ.
Audite Solis, inquit,
Orientis & cadentis
Sinus remotiores.
Audite regna vaſtæ
Libyes aduſta Cancro,
Et vos tumentioris
Rigoribus Boötæ
Subjecta regna juri,
Audite: FERDINANDO
Cadetis in triumphum.
Ille emicante dextrâ,
Ferroque fulminante,
Et Thraciæ furores,
Et arma Sarmatarum,
Scythicasque franget iras:
Formidoloſa Threſſæ
Calcabit arma Lunæ;
Devictaque Auſtrienſi
Phaſis vetus Gravido
Faſces ſuperbiores
Lunabit, & lupatis
Parere diſcet Auſtris.

Audite vota Divi,
Qui Theutones amatis,
Qui bella FERDINANDI
Fovetis, & benigno
Animatis arma nutu,
Audite vota Divi.

Ad Sereniſſimum ac Potentiſſimum Ungariæ Bohemiæque Regem

FERDINANDUM IV. AVSTRIACVM.

ODE IV.

Cùm Romanorum Rex eligeretur.

FERDINANDE (nec veremur
Cæſarum ſubire vultus)
FERDINANDE vita Patris,
Auſtriorum gloria,
Ad Coronas, Imperîque
Sceptra Numen te vocavit.
Obſequendum eſt: FERDINANDE,
Ad coronas provolat
Dumque eburnâ è ſede mundum
Contueris Imperator,
Civiumque ſubditorum
Vota ab alto deſpicis,
Imperare juſſus, audi
Admonentis dicta Patris:
Auſtriorum, inquit, Parentum
Nate regna legibus.
Frons amœna ſit, ſerenus

Riſus oris, mite labrum,
Melleusque vocis imber,
Et modeſta lumina.
Martialis ira vultus,
Pectus acre, juſtus enſis,
Et pius calor, manusque
Expedita in prælia;
Cùm frementis ira Martis
Sæviente vecta flammâ,
Vel rebelle gentis œſtrum
Regna ferro vulnerat.
Si quieſcat ira Martis,
Otietur æſtus enſis.
Bella belluas tuentur,
Pax amica Principes.
Cura Numinis tuendi,
Cura Civium perennis
Pectus urat, Æquitasque
Facta lance ponderet.
Pro Deo decet labores
Imperantem non timere,
Civiumque pro ſalute
Excubare Principes.
Cæſares Deo ſtudentes,
Publicoque militantes,
Civium bono, favores
Inſequuntur Cœlitum.
Ferdinande, ſic regamus,
Ut regamur altiore
Lege cœli, ſitque Numen
Imperandi regula.
Sic prementur arma Martis,

Liliis-

Liliisque grandinabit
Pax ſereno vecta curru,
Pax Olympi filia,
Sic recens dies cadensque,
Lege amoris copulandus,
Convolabit in beata
Frena pacis aureæ.
Dixit. Audis FERDINANDE?
Aſtra nutant, & jubente
Pax Olympo mitiora
Sæcula orbi digerit.
Pax amœnæ mater auræ,
Pax ſoror beatitatis,
Siderumque fauſtiorum
Pax decora filia:
Pax medulla ſuavitatis,
Blanda mater æquitatis,
Utriusque riſus orbis,
Fauſtitatis gratia.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM,

ODE V.

Vita Principum eſt laboris profeſſio.

QUem præſidere rebus humanis DEUS
Jubet, labori mancipat.
Hac lege veniunt purpuræ, ut Regem dies
Nullus quietum ſentiat.
Cum Sole cura prodit, & Solis comes

Decurrit in meridiem,
Meridiemque veſper & cura excipit.
Sic annus anno truditur,
Labor labore impellitur. Cernis mare
Tempeſtuoſis fervidum
Dephræliari fluctibus, jamque arbitro
Boreæ flagello concuti,
Jam verberari Circio, aut Auſtro rapi?
Vitam tueris Principum.
Curæ & labores pectus in partes trahunt,
Nec tenue cedunt otium.
Quodcunque telum publicæ rei imminet,
Primùm laceſſit Principes.
Nec ante ſe per corda populorum trahit,
Quàm corda Regum lancinet.
Si bella pulſent mœnia, & dextrâ facem
Bellona Martis torqueat;
Jam ſe medullis grandis inſinuat labor,
Roburque laſſat pectoris.
Simul iſta poſuit Auctor Imperii DEUS,
Sceptrum & labores improbos.
At nil verêre Cæſar, & mundi Hercules
LEOPOLDE, gemma Principum:
In cujus humeros pondus inclinat DEUS,
Metitur ante robora,
Aptatque vires. Nec poli in molem vocat
Imbelle pectus. Herculis
Hæc cura robur, aut Atlantæi arduum
Animi vigorem poſtulat.
Eſt cura Superis, talis ut Cæſar gravi
Mundi labantis ponderi
Subjiciat humeros, cujus infractus vigor

Sapiente

Sapiente CONSILII baſi
INDUSTRIÆQUE nixus ingentem pari
Molem gubernet robore.
Tibi nulla poſthac otia quietem dabunt?
Quid inde? magni pectoris
Viri quietem neſciunt. DEI indolem
Rex, qui laborat, induit.
Nunquam eſt quietum Numen. Hic tamen labor
Nihil quieti derogat.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE VI.

Matthias Imperator, Magni Principis idea proponitur.

TE ſpectatorem cupio LEOPOLDE. Theatrum
Eſt Cæſar alter alteri;
Auguſtusque prior pictura eſt viva ſequentis.
Sequens prioris ſemitam
Dum legit, auguſtamque pari diademate frontem
Induit, eaſdem pectore
Concipit ingenti flammas, ſtudioque ſequendi
Semel incitatus, anteit.
Nimirùm, non lenta urit præcordia Regum
Virtus. Sequentis calcar eſt,
Anteeuntis honor. Tendat licet ardua virtus
Per confragoſas ſemitas,
Indomitaſque vias; quò ſe prior intulit, alter
Ardentiùs connititur.

MATTHIAM LEOPOLDE vide. Si bella
Threſſæque Lunæ cornua (minentur
Imbre ſagittarum jaculentur funera, forte
Latus pavendis objicit
Mortibus, & tumidam caſtigat fronte procellam.
Si Regna ſcindat Imperî
Relligio diſcors, populique armata ruinis
Perfidia ſubvertat fidem;
In cœlum, Superosque Pius ſacra templa tuetur,
DEUMQUE læſum vindicat.
Et bello felix, & felix pace: trophæis
Per arma partis inclitus:
Munificus dextrâ, ſed ferri parcior: ore
Affabili benignior:
Et Themidis cultor. Quidquid vel ſidera pleno
Fudêre cornu in Cæſares,
Vel natura dedit fœcundæ munere dextræ;
Id omne in unum confluit;
Auguſtumque facit populo, charumque Tonanti.
Hæc eſt imago Cæſaris.
Nec LEOPOLDE tibi ſatis eſt ſpectaſſe. Parentum
Quicunque tantùm imagines,
Et longo ſtantes in curribus ordine ceras
Videre gaudet; ſegnis eſt
Hæres majorum, patrio nec ſanguine dignus.
Hoc exprimis, quod aſpicis:
Et pudet Auſtriaco traxiſſe à ſanguine ſtemma
Virtutis expers patriæ.
Otia quod reliquis, tibi dat LEOPOLDE laborem.
Illi in Parentum gloria
Otia tuta trahunt. Nec enim virtute parata
Æquare Patrum nomina

Nituntur

Nituntur factis. At tu ſuperare priorum
Famam, decusque niteris.
Poſterior ſemper ſi vincit laude priorum,
Quò fama creſcet Auſtriæ?

AD BEATISS. VIRGINEM DEI MATREM.

ODE VII.

Ego ex ore Altiſſimi prodivi. Eccleſ. 24.

EX ORE VIRGO prodiens ALTISSIMI
Dic, esné Patris halitus?
An cordis aura? an pectoris ſuſpirium?
An IGNIS exhalatio,
Qui ſub Tonantis pectore in noſtri calet
Vivax amorem? Scilicet
SEMEL LOCUTUS EST DEUS; Duo tamen
AUDITA ſunt; Verbum DEI,
Verbique imago Virgo. Nam quidquid Pater
Locutus eſt in Filio,
In Matre totum pinxit. At pinxit tamen
Neceſſitate Filium,
Sed charitate Virginem. Sed non dedit
Paternitatem Filio;
Maternitatem Virgini Auguſtæ dedit:
Ut cujus ipſe genitor eſt,
Sit & illa genitrix: utque ſe Pater exprimit,
Sic Mater in Verbo exprimat.
Hinc eſt imago Patris & Nati; Parens
Auguſta Virgo. Filius
Materque eodem Patre procedunt: Pater

 Lucet

Lucet in utroque. Filium
Quicunque flexo poplite veneratur, ſuum
Statuat honorem Virgini.
Nec abſque Matre Filius colitur ſatis,
Nec Mater abſque Filio.

AD LABOREM ET SAPIENTIAM.

ODE VIII.

EPITHALAMION.

SUrge nuptialis ardor,
Blande amoris adminiſter,
Dum chorea pendularum
It per aſtra flammularum,
Et Scientiæ, & Laboris
Allaborant Nuptiis.
Surge Amor fælicitatis,
Conde-Prome fauſtitatis,
Delicate Gratiarum
Architecte; pacis uber,
Prime flos beatitatis,
Vena prima nectaris,
Si Deæ frementis ira,
Prodigæque mentis ardor
Martis aſtro ſuſcitatus
Bella ſævo vulvat Hæmo,
Thraciamque, Sarmatasque
Volvat uno turbine:
Unus eſt labor Laboris
Frangere arma, vetere iras;

Et

Et calente mentis œſtro
Fluctuantes per Gradivi
Ire meſſes, & decoram,
Nundinari gloriam.
Sternere agmen, diſſipare,
Et ſequace fulminantis
Imbre plumbi prævolantum
Siſtere impetum, & trophæa
Dedicare rapta Cedro;
Figere arma poſtibus.
Si ſereno vecta curru,
Poſt cruenta bella Martis,
Candidos dies reducat
Pax beata, Pax amœna,
Pax amica, Pax ſerena,
Pax Olympi filia:
Unus eſt labor Laboris
Condere agros, condere Urbes,
Subditisque jura ferre;
Areasque conſulares,
Et Senatum lege magni
Temperare Conſilî.
Surge amor, leporis uber,
Candidæque dives imbre
Lucis, æmulate flammis
Innocentis aſtra cœli,
Et Scientiæ, ac Laboris
Allabora Nuptiis.
Caja filia eſt Tonantis,
Ante regna nata cœli,
Ante ſiderum choreas,
Ante Phœbum, & ante Phœben,

Ante montes ante fontes,
Ante Ponti murmura.
Quando ſacro pinxit igne
Numen aſtra, quando honeſto
Compſit auro Solis ora,
Linearum, quas trahebat
Æviternæ dextra mentis,
Sponſa ſtabat ectypon.
Illa Nerêi fuſa regna
Convocavit, & capaces
In ſinus cadente terra
Alveum dedit natare,
Ac in obviis arenis;
Scripſit iræ limitem.
Illa montes educavit,
Illa valles excavavit,
Montiumque valliumque,
Vulgus, arbores minores,
Et Quirites, & Senatum
Condidiſſe dicitur.
Surge Nuptialis ardor,
O Parens amœnitatum,
Dum pari nubit Labori
Nata Patre Diva cœli,
Surge, proſperamque tædam
Nuptiis accommoda.

AD LEPIDUM.

ODE IX.

Vitanda improborum conſuetudo.

ANoxiorum cœtibus recedere
Virtutis eſt pars maxima.
Plerumque ſidunt vitia, quando abeſt comes,
Scelerumque ductor. Crimina
Volunt probari. Primus hic fructus mali eſt
Laudem aucupari. Deſinat,
Qui ſcelera laudet, deſinet & ipſum ſcelus.
Nam quis rubente purpurâ
Latus coronat, placeat ut ſolus ſibi?
Nemo ſibi ipſi lautus eſt.
Amat videri luxus, atque impos ſui
Exire, & oculis objici
Spectantium deſiderat. Luxum premes
Et cordis impotentiam,
Jactantiamque mentis, & laſciviam;
Si, ne videri poſtulent,
Curaveris. Laudator, hortator, comes,
Et ductor illuc pertrahit,
Veniſſe quò te pudeat. Hos fuge, & malo
Medicina parta eſt. Is caret
Vitio, ſodales improbos quiſquis fugit.
Quæ ſolus horres, cum Duce
Audes patrare. Socius extinctum focum
Animat, gravique incendio
Mentem perurit, Qualis ubi tecto Notus
Ardente ſævit, alteri
Infundit ignem; talis improbitas ducis.

Bacchatur, & ſe proximo
Inſinuat animo. Aut qualis effuſis jacet
Sopitus undis Nereus,
Quando furentes Æolus ventos premit:
At ubi catenas ruperint,
Seſeque ponto infuderint, fremunt aquæ,
Exſuſcitantur montibus
Pares procellæ; quæque tranquillo otio
Undæ jacebant, nubibus
Seſe maritant: talis innocuus licet
Animus, ſodali noxio
Junctus, ſodalis indolem & vitium trahit.
Quæ quiſque didicit, hæc docet:
Suadetque, quæ quis diligit. Proprium mali eſt
Quærere vagari, aut ſerpere.
Vis innocentem vivere ætatem? Duci
Temet nocenti ſubtrahe.

AD VER.

ODE X.

Ejus amœnitas deſcribitur.

O Medulla gratiarum,
Siderum jocoſa Siren,
Otium negotioſum,
Pectorumque mite cœlum,
Ver Ephebe dulcis anni,
Ver ocelle temporis,
Artifex amœnitatum,
Architecte blande florum,
Quem jocantis ardor iræ,

Am-

Ambulanſque per comati
Delicata rura Pæſti
Aura lambit Attica.
Dulcis aura cùm flagellat,
Mollis aura cùm duellat,
Aura lenis, hoſpes Hyblæ,
Blanda civis aura Tempe,
Aura nata ſub roſetis,
Aura Hymetti filia.
Quæ decenti murmurillo
Nuptialibus flabellis
Lambit Euros, lambit Auſtros
Et rigentûm ſegne plauſtrum
Mitioribus labellis
Oſculatur Arcadum.
Cujus aureo Bootes
Baſio hirta labra tactus
Ponit arma, ponit iras,
Mænaliſque turbulenta
Nube cruda tergit ora,
Frontis & tyrannidem.
Cujus oſculo Amphitrite
Temperat theatra Nerei,
Cærulæque frontis alma
Conſerenat Iris æſtum,
Perque Dorides ſuſurrat
Dulce nectar otii.
Inquiline Ver Triquetræ,
Ver Parens Eteſiarum,
Mille gemmas, mille frondes,
Mille frondium virores,
Mille flores, mille rores,

Mille ſpargis gaudia.
Ver cupitum, Ver decorum,
Seu quietis officinam,
Frondeamque texis aulam,
Unde Cynthias ſagittas
Innocente temperati
Pellis arte fornicis:
Sive candicante brumam
Nube ſpargis liliatam,
Seu liguſtra, ſeu roſeta,
Quæ fremente non momordit
Dente bruma, nec gelavit
Circii ferocia;
Seu Smaragdino natantis
Vulgus undæ lambis ore,
Semper altæ Rex quietis,
Pulchrioris author anni,
Et Parens beatitatis,
Ver viroris arbiter.

AD AUSTRIACOS.

ODE XI.

Ut arma pro Cæſare FERDINANDO *ſumant; & ſic ſuum in eum amorem teſtentur.*

AMemus. an nos caute Marmaricâ ſatos
Libyſſa tigris ubere
Pavit maligno? corda num Sypili jugo
Duxêre venas marmoris?
Totusvé mentem Caucaſus, vel intimas
Hæmus medullas occupat;
Vetatque amare Cæſarem, cui addecet
Ipſum litare ſanguinem?

Ame-

Amemus, Auſtria. Arte non aliâ poteſt
Amor rependi Cæſari.
Illum per arma Martis, & ſævos amor
Egit procellæ turbines.
Auguſta teſtis, teſtis eſt Ratis-bona,
Kelheimium, Moguntia,
Donawerta, Norinberga, quæque atrum bibit
Norlinga Sueci ſanguinem.
Vidit Aquilonis turbo, quem procul ultimâ
Guſtavus egit Balthide:
Quem cùm ſubegit, preſſit invidiam ſimul
Audaciamque Vandali,
Reverentiamque finibus mundi extimis
Sui imperavit nominis.
Quacumque parte ſpolia, vel victoriæ
Trophæa fixit, emicant
Defixa ſigna amoris, & pro patria
Impendioſi pectoris.
Amantem amare Cæſarem qui non poteſt;
Illum maligno ſidere
Ferox maritâ prodidit Getes leâ,
Vel evolutis fluctibus
Vomuit profundi ſæva tempeſtas maris,
Vel Adriæ, vel Caſpii:
Illi cruentum fluxit in pectus lapis
Sypilique dura fragmina,
Cerauniique vena, Pardorum indoles,
Mores Leonum, tigridum
Indomita feritas, quodque natura horruit,
Supremum Averni toxicum.
Amemus. ille prodigus vitæ calor,
Et proſtitutus præliis

Amor,

Amor, meretur diligi. At nemo ſatis
Amat, niſi arma diligat,
Clypeusque ſtet pro Cæſare. Examen fremit
Aquilone ducti militis;
Cûi multa galeam bruma conſperſit nive,
Multusque aduſſit Sirius:
Cûi multa ceſſit palma, quem prædæ gravant
Preſſi tot annis Imperî:
Hic vaſtitate Regna, & Imperium premit,
Hic ſpoliat urbes, oppida
Exurit, agros vaſtat, & cives necat,
Et aggeres cadaverum,
Struesque miſcet funerum, & toti parat
Cataſtrophen Germaniæ.
Hîc illa virtus Auſtriæ, hîc ſeſe exerat
Avidus mori pro Cæſare
Amor Auſtriorum; ſeque per belli faces,
Per dura Martis fulmina
Agat in triumphos. Semper armatus fuit
Amor pro amato. Deſinit
Ipſe amor amare, ſi ſibi exarmet latus.
Armati amemus Cæſarem.

Ad Reverendum Dominum

JACOBUM ZUTTINIS.

ODE XII.

Cùm poſitiones Theologicas de DEO *propugnaret.*

HUmiles fugacis gloriæ exoſus caſas;
Vallesque honoris animus, emergens luto
Ter-

Terræ jacentis, quà ſerenato DEUM
Criſtallus ambit igne, qua ſtellæ meant,
Famuliſque Numen ambiunt ſplendoribus
Denſæ choreæ ſiderum, invadit polos.
Superba Memphis, Dauniæ illuſtris ſeges,
Faſtus Alyattæ, Perſidos cultus, opes
Inopis Phraatæ, gleba Pactoli, gravis
Tributa Gangis, ditis Heſperium Tagi
Vectigal, animos nempe ſerviles tenet,
Vileſque mentes. Aquila pennatis ſupra
Seſe aſtra remis librat: in turpi natat
Gravis anſer algâ. gaudet aſpectu diem
Haurire Phœnix: noctuæ tenebras amant.
Illuſtre quidquid, quidquid auguſtum edidit
Natura, noctes odit, & ſequitur diem.
Avara corda gloriæ hoc ſedem ſibi
Locant theatro, quo DEUS. Si quæ jacet
Ignava virtus, umbra virtutis mera eſt,
Non vera virtus. Iſta nec multis Patrum
Contenta ceris, nec palatino tegi
Patiens honore, ſtemmatis luci novam
Lucem addidiſſe cupida, Majorum inclitas
Cumulare lauros gaudet, & ſapientiam
Suam locare Solis in medio die.
Sic tu, jacentes Dœdalâ terras ſuper
Evectus arte, trans inundantem igneis
Nimbis Olympum, transque ſtellarum domos,
JACOBE, nixus Pallade, ingreſſus polos
Unum & triforme Numen accedis propè,
Propiuſque ſpectas. Quidquid involvit ſinu
Caliginoſæ noctis obſcurus dies,
Hoc eruditæ mentis evolvis face.

O quan-

O quanta credam noſſe, qui noſti DEUM!
O quanta credam poſſe, qui potes quoque
DEUM tueri! nempe ut ignores nihil
Metam tuæ ſcientiæ ſtàtuis DEUM.

Ad Eundem

R. D. JACOBUM ZUTTINIS.

ODE XIII.

Cùm Theologiæ Baccalaureus crearetur.

CAliginoſum mentis heroæ calor
Vixiſſe neſcit ſanguinem, aut vili tegi
Famæ ſilentis nocte. quà Titan vias
Temone ſignat aureo, hàc ſequax vigor
Virtutis ignes provehit. Ducit diem
Quacunque rapitur Cynthius: diem trahit,
Quacunque virtus rapitur. It Soli comes
Ardor, calorque: ſocius inceſſu pari
Virtuti it ardor, Fortè virtutis tuæ
Exaſtuantes ipſe ſudatâ excipis
In fronte radios; unde ſub laurum volas
Anhelus umbræ. Nempe laſſatam gravi
Mentem labore frondium recreat viror,
Et umbra lauri. Quæ tamen pulchro ambitu
Tuum coronat verticem lauri coma,
Nullius umbræ eſt mater. Hoc ſplendens habet
Sapientiæ umbra; illuminat. Quæ per tuas
Folia virentis laureæ inſerpunt comas,
Radios vocabo. Namque tu Soli caput
Æquaſſe gaudes. Cynthium ut ſtipat ſuum
Radius, ſatelles aureus; ſtipat tuum
Laurus ſatelles verticem. Solem fugit

Nox,

Nox, partus Orci, triſte portentum Stygis,
Sororque mortis: Laureæ ad lucem tuæ
Pavet omnis umbra, & turpe ſub Lethes vadis
Caput recondit. Vota ſi cœli audiunt
Precibusque Numen annuit, votum dabo:
JACOBE, ſemper lucidum ut vivas diem,
In luce ſemper occidas. Semper diem
Vivit ſerenum, in luce quiſquis occidit.

AD BEATISS. VIRGINEM MARIAM.

ODE XIV.

In morbo ſupplicatio.

ARtus labaſcunt, oſſeam in vallem cadit
Vultus, theatrum gratiæ;
Frons illa, ſedes gaudii, inducto ſuper
Pallore mœret, irides
Blandi jacent ſupercilî; geminæ faces,
Geminivé Soles luminum
Propè in gelata ſpecula dureſcunt: genæ,
Charitum voluptas, corruunt:
Labra purpuriſſum deſerit, vultum vigor,
Totumque corpus Gratiæ.
Decumana tuſſis vocis anguſtat vias:
Reciprocante ſpiritus
Pulmone feſſus vix reluctantes poteſt
Penetrare portas faucium:
Digitos reducti contrahunt nervi; pedes
Compage ruptâ debita
Officia fracto denegant. animæ parum
Superſtes ægrè ducitur.

Avara fati Lacheſis evolvit colum,
Et ſtamen urget Atropos.
Non vivo; ſed nec morior. A vita pari
Cum morte diſto limite.
Si ſit cadendum, VIRGO, quæ blando ſinu
Tuos clientes excipis,
Menſura voti, pectoris VIRGO mei,
Ades cadenti! Nil moror,
Mori paratus; quando maternum mihi
Sinum cadenti ſubjicis.
Tibi militavi, VIRGO, Pierio tibi
Senuit ebur conamine:
Hoc poſco demum, mortuo vati ultimam
Impone VIRGO lauream.
Quod ſi voracis ore me lethi rapis,
Jubesque rurſum vivere;
Tibi noſtra buxus ſerviet; nomen tuum
Parnaſſias per areas,
Permeſſios per alveos lætus canam;
Et cum ſuprema forcipe
Stamen ſecabit Lacheſis, in tuo mori
Gaudebo vates nomine.

Ad Bonarum Artium

STUDIOSOS.

ODE XV.

Cùm poſt ferias Autumnales ad Academicos labores convenirent.

AUdite, ſi quem frontis auguſtum jubar,
Laurusque honoris allicit; ſi cûi cruor
Nobi-

Nobilis adurit pectus, & virtus fibris
Calefacta bullit: Pallas in campum vocat
Onuſta palmis. Jam receſſerunt dies
Blandæ quietis; otio Autumnus graves
Refecit artus. Muſicis ſatis datum eſt
Sylvæ camænis, piſcibus, campis ſatis.
Adeſte; quà Minerva generoſis diem,
Pugnamque Apollo dicit, & mentes vocat.
Adeſte: ſed non deſides partus Cypri.
Non delicati Veneris infauſtæ ſatus,
Non lacte paſti Chloridos, tincti genas
Stibio, & amomo verticem, minio labra,
Manusque lacte lilii, eleganculi,
Et mollicelli, & mellei Narciſſuli.
Pudeat amare Palladem, & tingi comam;
Sequi Minervæ ſigna, nec fucum genis
Demere roſarum; bella moliri manu, &
Lento perire in otio. Fortes amat
Apollo mentes, deſides odit manus,
Emarcidasque Gratias. Cedant Croci.
Cypariſſulique, liliorum & nectaris
Lacte educati: Palladis præda eſt honor.
Honor teneri dexterâ imbelli nequit,
Nec dormienti laurus in frontem venit,
Nec honeſta fama languido. Si cûi labor
In pertinaci plurimus callo ſedet,
Socius Minervæ laudis in partem veni.

AD BACCALAUREOS THEOLOGIÆ.

ODE XVI.

Mentes aureæ in aureis ædibus habitant. Deauravit eam intrinſecus auro mundiſſimo.
2. PARAL. 2.

SI cûi Liburnis abditi fibras coquit
Auri libido montibus;
Aut Indicarum viſcera, & rubentium
Medulla tangit rupium;
Si quem procellâ vectus auratâ Tagus,
Flaviſque tempeſtatibus
Superbientis unda Pactoli rapit:
Non curioſo montium
Findat ligone viſcera; nec auro incubum
Pelagus remotum claſſibus
Tabulare ſtudeat. Æquoris quondam ſinus,
Imumque gremium Nerei
Fugitivus auri ſplendor ambivit, timens
Pœnas ſuorum criminum:
Et impiratis luridæ partus Stygis
Ne afflaret auras peſtibus,
Se ſub receſſu montium abſcondit, ſuo
Pallore teſtatus metum.
At nunc probroſi nominis raſit luem, &
Famæ prioris dedecus
Secuta fama. Publicæ Atlantes rei,
Æternitatis arbitri
Vitæ Magiſtri; quos nec Erythræi calor
Vſſit metalli, nec ſitis

Pal-

Pallentis auri tenuit, aut fames ſacra,
Habitant in auro. Scilicet,
Illuſtris animus Pallade, & mens aurea
Lares meretur aureos.
Non illud aurum concipe, in cujus ſinu
Technæ coquuntur fraudium,
Quod in arma regna ſuſcitat, cædes ſerit,
Et ſeminat cadavera,
Suoque cinere ſepelit ingentes domos,
Et buſta regnorum trahit.
Sed illud aurum intellige, à cujus face
Ardent olympi ſidera,
Et fulgurantis conſules cœli micant.
Illud per ædes ſpargitur
Sapientium aurum, quo coronantur poli,
Quo veſtiuntur ſidera.
Non ergo egenus eſſe Theiologus poteſt,
Cûi ſemper eſt aurum domi.

Ad Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum
Principem

D. ANTONIUM
EPISCOPUM VIENNENSEM.

ODE XVII.

In ejus Natali recurrente,
DITHYRAMBUS.

PHœbe, ſeu motas legis ungue chordas,
Seu redordiris numeros, lyramque
Pollice exploras meditatus inter
Fila loquelam:

Mitte nunc Horatianæ
Plectra legis, & ſoluto
Lude metra Dithyrambo.
Audior. ictus lege ſolutus
Tactu nervos citat enerves,
Curſim explorat, carptim irritat,
Movet argutos, monet acutos.
A tergo quæ turba ſubit, cui flore nitentem
Siderum cinctus redimit capillum,
Ora tranquillat reſoluta, Sole
Iris adulto?
Virtutis ora noſco.
Lacte tincta Gratiarum.
Miniata flore cœli,
Rore picta Cœlitum.
Hæc dextrum lævumque latus ſtipata Deabus,
Vitæ arbitris, necisque;
Super alta mundi regna, quà choreis
Plaudunt Tonantis ſidera Regiam,
Remigibus Zephyris,
Aurigante Favonio
Abit pernice volatu
Prævola magni buccina mundi,
Divum nutrix, virtute ſata,
Soror Honoris, medio celeres
Agit Olympo Fama jugales.
Et quà Vigilibus ardet æthra ocellulis
Hiſtoriæ ſegetes ANTONI nomina ſpargit,
Excepêre ſonos tubæ crepantis
Cœli militiæ ſerenioris,
Et ſcintillivomi poli Quirites:
ANTONIIque honoribus

Unà

Unâ ſudare laborant.
Primus, aſtrorum face noctilucas
Qui flammas regit, Imperator æthræ,
Et nocticida Phœbus,
Splendidius radiante cohorte
ANTONII honoribus
Certatim ſudare laborat.
Obviat blando radioſa vultu
Argentea Imperatrix,
Dieicida Luna,
Et lenè fulgurantes
Advertens vultus, gemmei decus, inquit,
Olympi,
Et noctiluci milites, cœli faces,
Lucis amores, noctis honores,
Inter fulgura nominum,
Inter ſidera Præſulum,
Inter lumina Principum
ANTONIO decus apparate.
Sudatur, itur, luditur
ANTONIIS honoribus.
Mavors non rigidâ ſævior ægide,
Haſtaque criſpiſulca,
Sed innocente ludibundus enſe,
Cûi ſub Tyrii tegminis oſtro
Sonat auratâ lynce pharetra,
ANTONIO primus faſces inclinat honori.
Rutili ſequuntur conſules aulæ Ducem
Martem, ac honori ſingulus facem ponit.
Famulum votis ANTONI tuis
Undique pluvio gravidum ab auro
Subminiſtrat aſtra cœlum;

Spiceam Ceres coronam,
Ditiſque cornu copiam
Amalthæa, Orion arma,
Aſtræa dat bilancem,
Currumque dat Boötes.
Sed quà recurvis frondibus arcuant
Arbores ramos, viridemque tendunt
Fornicis umbram,
Cœleſtûm brachia frondium,
Domina vitæ Parca recurrit.
Hîc meliores gloria portus
Sinuavit hoſpitalis;
Hîc prima mellitiſſimi
Juventa, luxque temporis
Ver, temporum medulla,
Cûi fronte ſtant vireta,
Et nigricant vaccinia,
Et purpurant roſeta,
Inter oſtra florulenta
Helles raptorem paverat aureum.
Cùm famulatrices ANTONI nominis ignes
Ire ſequaci ſplendore videt,
Rapit Hellæi velleris oſtrum,
Rapit aurati vellera dorſi,
Parcarumque colos juncto ſuperinduit oſtro:
Unde penſa purpurata
ANTONIO trahantur.
Ducite longævos, inquit, de vellere Soles,
Canitiemque animi, & ſenium venerabile men-
Dum ſonante vecta curru (tis:
Sibilantis inter auræ
Murmurilla buccinatrix.

Fa-

Fama per ſeptem ſpatiata colles
Celſa Romanas equitet per arces,
Et Vaticano in vertice ludens
Placeat apibus, VRBANE, tuis.
Sic Ver nobilioris anni Ephæbus
Imperat: & noſtris accendit vota medullis.
Ite Deæ, lentumque precor devolvite penſum
ANTONIO, ô ſidera.
Illum purpureis choris
Virtus miſceat, & comes
Gloria, Romanis inſcribat nomina faſtis.
Sic ego, ſic votis animoſa Vienna precatur.

AD HIERONYMUM ANDOLINVM.

ODE XVIII.

Mors, quæ inſtat omnibus, prævenienda virtutibus eſt.

O Vana ſpes mortalium!
Caduca vota mundi!
O labilis felicitas,
Vix nata, funeranda!
Quid longa votis ſæcula
Prævertis ANDOLINE?
Canamque ſcribis Neſtoris
Tibi ſenectam in aſtris?
Doloſus eſt horoſcopus,
Qui pollicetur annos.
Nec annus unus certus eſt,
Hec hebdomas, diesvè;

Nec hora certa eſt unica.
Quò mittis, ANDOLINE,
Avara vota ſæculi,
Ignara vota mortis?
Fluunt, nec unquam refluunt
Momenta truſa vitæ:
Productioris eripit
Spem temporis volantûm
Citatus ordo ſiderum,
Domeſticumque bellum,
Quod noſtra rodit viſcera,
Quod ima ſiccat oſſa.
Nox una reſtat. Ibimus,
Sub ſole quot meamus;
Reges, Monarchæ, ruſtici,
Et ſceptra, ſarculique.
Non præterit ſublimium
Mors vertices, nec imos:
Nec nomen urna regium,
Nec regias ſecures,
Nec ſceptra, dextræ lumina,
Nec purpuram veretur.
Soccos cothurnis, ſarculo
Quirina ſceptra miſcet:
Miſcet lacernis purpuram,
Et lauream cupreſſo.
Poſtrema ſeu defloreat,
Seu prima vernet ætas:
Seu matre nati regia,
Seu Tityro parente;
Morti paramur ſarcinæ,
Et victimæ ſepulchro.

Quod-

Quodcunque naſci contigit,
Hoc funeri paratur.
Soles venire conſpicis,
Rurſusque funerari;
Cœlo micare ſidera,
Rurſusque nubilari:
Obambulare flumina,
Fugamque concitare;
Candere Pœſti lilia,
Roſasque purpurare;
Marcere rurſus lilia,
Roſasque vulnerari:
Zephyros per auras ludere,
Zephyros Notis repelli:
Veris venire gaudia,
Veris jocos perire.
Quodcunque natum eſt, interit;
Quodcunque venit, exit.
Cumæa nulli ſæcula
Severa Parca ſpondet.
Momenta vitæ ſingula
Mortis citant ad urnam.
Rides? jocaris? riſibus
Jocisque fata adurges:
Et dum putas te vivere,
Tunc moreris, ANDOLINE,
Hæc ipſa lux, quam dividis
Cum Gratiis jocisque,
Hæc ipſa, dum prætervolat,
Te raptat ad ſepulchrum.
Erramus inter gratias,
Erramus, ANDOLINE;

Niſi evolantis temporis
Anteoccupamus horas.
Dum res, & ætas, dum ſinit
Faventis aura cœli,
Moriendo vitiis præveni
Lethi prementis horam;
Et brevia vitæ tempora
Virtutibus repenſa.
Qui dives eſt virtutibus,
Hic vixit in ſenectam.

In Funere Prænobilis Dominæ
ANNÆ MAGDALENÆ à SCHOLZEN.
ODE XIX.
Matri parentat filius Joannes Adamus à Scholzen.

DITHYRAMBUS.

MUſa confuſo vaga Dithyrambo;
Mitte nunc Horatiani
Jura nodi, barbitoque
Exlege funde lachrymas.
Lentus dolor eſt, quiſquis potuit
Capere frænos: quiſquis certâ
Lege frænari potuit, doloris
Nomina perdit.
Excute fræna dolor:
Matri parento. Luctus, amantium
Suprema merces, ſolvitur.
I, ſine lege dolor.
ANNA (dolor vocem ſingultibus interrumpit)
Ma-

Mater (amor lachrimis ultima verba negat)
Occubuit ANNA mater:
Occubuit roſa Veris ardor.
Ardore ab illo ſolus eſt cinis ſuper.
Eſt amiantum pectus amantûm;
Lege amianto, quiſquis amaſti,
Relliquias cinerum:
Non aliâ meliùs cinis hic tumulabitur urnâ.
Caria ſublimes ſuſpendat in æthere moles,
Pendulaque Mauſolæa:
Amianto amoris conditur
Funus amantis.
Hic dolor, hic & amor parenta;
Tumuloque aſpergito flores.
Si quod ſtemmaticis eſt folium ſuper
De roſis, Matris tumulo advolabit.
Folium vento rapitur: non quo
Gelidi inclementia cœli,
Aut Arctoâ piger torpet propè plauſtra Boôtes.
Folium vento rapitur: non quo
Zephyritis inambulat hortos,
Tinctusvé pennas Galbano Favonius.
Folium vento rapitur: vento
Amoris? an doloris?
Spirat Amor, ſpiratque Dolor, ſuſpirat uterque;
Uterque ventus eſt, Dolor & Amor.
Utroque vento folia rapiantur roſæ,
Amoris, ac Doloris:
Amor in vota, & Dolor in gemitus.
Calida eſt Amoris aura,
Hac aura folium roſæ feratur.
Matris fortè aliquis rurſum ſerpet calor in medullas,

 Amo-

Amoris à calore.
Verna eſt Amoris aura:
Roſa fors iterùm hac vernabit ab aura.
Rigida eſt doloris aura:
Hac aurâ in tumulum roſæ ferantur.
Adjungam lachrimas. Doloris aura,
Si congelaſcet, funeri vitrum dabit.

Ad Hymenæum Prænobilis Domini

GEORGII NAGL, ET D. LUCRETIÆ.

ODE XX.

EPITHALAMION.

FAllor an ætherei trans Dædala mœnia templi
Plaudit amor ducitque choros, & propter amœnos
Fontis Acidalii latices, ripamque beatam
Læta cohors juvenum formoſo pollice flores
Demetit, & niveo miſcens candore rubores,
Aurea formoſis ſuperaddit floribus aſtra?
Audio: jam chordas examinat ungue Cupido,
Exercetque choros & carmine temperat exta.
Age cœli amœna pubes
Per roſeta, purpureta,
Et honora per vireta
Mete ſerta, ſcinde flores.
Hic, ubi dorſo nobilis aureo
Fulgurat aries, rapite Hellææ
Stamina lanæ. Hæc noſtra decent

Fila

Fila corollas : alii centum
Ferte colores, ferte decores :
De flore deque rore
Ocellulos Auroræ,
De Cynthiæ nitore
Argenteum labellum,
De ſiderum rubore
Afferte purpuriſſum,
De roris igne florem,
De floris igne rorem.
De Solis auro purpuram,
De rorulento nectare ;
De nectaris papillis,
Florumque de favillis
Tributa ferte ſertis.
Dixerat : ad vitreas Cytheræ Doridas undæ
Turba petulca ſalit, gremioque in gaudia pando,
Igne coronatas promit ſpectacula ſcenas.
Pars nectunt crinale decus, pars tela propinant
Arcubus, & Cyprio viduant ardore pharetras.
Pars legit ungue roſas, pars tortile flectit in orbem
Argentum, florumque choros interligat auro,
Et decus annexis addit roratile gemmis.
Tum præit agmen Hymen :
Jam purus, inquit, lucida ſiderum
Cœlo maritat Veſperus agmina,
Flammæque ſtellarum reſurgunt.
Jam luna noctis in meridie
Agit choreas Aſtricas,
Et plena Solis ignibus
Noctis legit papavera :

Aura mitis, aura dulcis,
Suavis artifex voluptæ,
Architecta Gratiarum,
Ridibunda, ludibunda,
Ridet, jocatur, luſitat.
Dignam triumpho ſume ſuperbiam
Pubes recenti, tempora lumine
Redimita plaude,
Blando ſoluta riſu
Dulces ini choreas
GEORGIO & LUCRETIÆ:
Accende tædas nuptiales
GEORGIO & LUCRETIÆ.
Ite chori adductum, nervis intendite cornu
GEORGIO & LUCRETIÆ.
Nectite permiſtis lilia cana roſis.
Vivat ille, vivat illa,
Vivat ab utroque
Generoſa proles,
Paterni nominis hæres,
Maternæ mentis & hæres.
Vix ea dicta dedit, plauſu exiliêre cohortes:
Pars cytharæ titillat ebur, pars voce canorum
Intonat & cogit veteres in carmina lauros.
Audio: languentem circùm mea tempora laurum,
Aptam fingo metris atque inter gaudia Divûm,
Veterem ſalire jubeo
In vota Dithyrambum.
Pergite quà ſignis radiat Lucina cupitis,
Vobis avitæ ſtirpis optatum decus,
Spes ſanguinis, lux nominis,
Pignus Amoris, vena lepôris,

In-

Inter Matris brachia ludat,
Unde ridens, & renidens,
Gratiarum ab imbre creſcat,
Maternâ virtute nitens, virtute paternâ.
Fulgidus, in quem cùm ſua lumina verterit om-
Series nepotum poſterorum dicet: (nis
Hic vera effigies Patris eſt, hic Matris imago.

AD CONVICTORES VIENNENSES.

ODE XXI.

In funere DIONYSII AMBSHAMER *Philoſophiæ Studioſi.*

EPICEDION.

O Fata terris invida! ô noſtri nimis
Avida doloris ſidera!
O cruda mortis jura! Protritus jacet
Flos ille, dignus Neſtoris
Videre canos! illa magnanimi indoles
Attemperata pectoris!
Calor ille vivax ingenî! veræ ſitis
Virtutis avida, ſpiritus
Ad magna natus! Innocens mentis vitrum,
Animique candor limpidi,
Morum venuſta forma, maturus tenor,
Teſtis pudici pectoris
Vultus modeſtus. Invide ô mortis rigor!
Si noſtra gaudes funera
Cumulare, noſtrâ cœde ſi vivis; rape
Propudia primùm ſæculi,

Et proba terræ, generis humani lues,
Reique damna publicæ:
Quos mundus odit, quos reluctatur dies
Puro videre lumine.
At innocenti parce, quem dignum facit
Virtus Sibyllæ pulvere.
Hac lege cæca graderis, ut ferias probos,
Et improbos pertranſeas?
Sed quò lupatis impotens ruptis dolor
Vos, ô Sodales abripit.
Reſume fræna luctus, & motum doma
Exulcerati pectoris.
Morti, Sodales, parcite. Erravit prior
Natura, Juveni cùm dedit
Mores ſeniles, lumen excelſum ingenî,
Maturitatem conſilî.
Et inſequentis temporis lentas moras
Prægreſſa virtus, miſcuit
Gravem ſenectam floridæ ætatis roſæ.
Decepta mors eſt. Viderat
Mores adultos Juvenis, & ſenem rata,
Carpamus, inquit, fructus eſt
Maturus aſtris. Dixit, & telum exerit,
Signatque pectus vulnere.
Occumbit ille vulnere: Juvenis, dies
Si cenſeamus temporis,
Vitæque ſpacia: merita ſi numeres, ſenex.
Solamen hoc ſit luctui.

A D

AD GEORGIUM GEREBINIVM.

ODE XXII.

Cùm is à ſancto Religionis adeundæ propoſito defeciſſet.

SIc mentis expers ſana conſilia excutis?
Et quæ placebant, diſplicent?
Sic execraris vota, quæ cœlo tibi
Non ambigebas indita?
Quò fervor ille exæſtuans, quò corruit
Generoſa flamma pectoris,
Quâ per ſubactos orbis inſidi dolos,
Calcata per faſtigia
Adblandientis gloriæ, victor tui,
Honoris, & Cupidinis,
Faſtusque victor, ire gaudebas, tuo
Vitam daturus Numini?
Memini diei, quando dicebas: Mare eſt
Infame mundus, quod tumet
Aquilone verberante, qod rapitur Notis,
Fluctusque tundit fluctibus:
Cûi fida nunquam ſidera è cœlo micant.
Hîc ſe Charybdis gurgite
Septemplicato volvit, & ſorbet rates;
Hîc Scylla dentes aſperat,
Latusque cincta canibus horrendùm latrat,
Belloque dubias ſpumeo
Naves fatigat: pendulo hîc ſaxo obvium
Latus Malæa porrigit,

Sym-

Symplegadesque ſidera laceſſunt jugo
Semper minante. Si levis
Quandoque ſe Favonius ponto inferat;
Aut luſitent Eteſiæ,
Zephyrique blandâ miſceant rixâ mare;
Brevis voluptas exitu
Lachrymabili penſabitur. Nolo mea
Huîc vela ponto credere:
Nolo ſpecioſa damna ludentis freti,
Quod in procellas horula
Miſcebit una. Vidimus eodem rates
Loco ſepultas, quo jocos
Ventis ferebant. Tenue momentum intereſt,
Inter jocos & funera.
Mors inſtat, urget hora, momentum breve
Mentita tollet gaudia.
Ite, ite mentis compedes, cordis rotæ,
Duræ cataſtæ pectorum,
Specioſa damna ſpiritûs, opes, honor,
Purique durus carnifex
Animi, voluptas. Ite; me lenis quies,
Et dulce mentis otium,
Sævè imperantis evocat fluctu maris.
Ibo, ibo; quò vocor, ſequar.
Huc me citavit ille, quem ſtellæ pavent,
Cui obſequuntur ſidera,
Qui nube torquet fulmina, & rigidis ſolum
Terret cometis ſubditum;
Qui querneâ olim fixus in trabe voluit,
Ut viverem, pro me mori.
Huc illa Virgo, cujus ad ſacros tholos
Me dedicavi victimam.

Ibo,

Ibo, ibo, quò me Numinis nutus vocant.
    Hîc crimen eſt, lentè obſequi.
Hæc tu: ſed olim. Nempe cùm ratio ſuo
    Serena ſtaret in loco.
At nunc (quod oculos faſcinum & mentem ligat?)
    Nunc, quæ placebant, diſplicent.
Nunc ille pontus hortus eſt; illud mare
    Eſt ſcena Gratiarum,
Charitesque ſunt Symplegades; pericula
    Sunt tuta ſedes otii.
Sequeris Charybdim, amplecteris Scyllam, colis
    Ceraunia & Capharea
Minata ſaxa nubibus. Nullum vides,
    Et lætus in periculum
Te fundis omne. Sponte (quis animi furor?
    Quæ mentis hæc veſania eſt?)
Sponte obviantis gratiam portûs fugis,
    Demergerisque fluctibus.
Placet execratus gloriæ vultus, placent
    Mentita mundi gaudia,
Roſeta amœna Cypridis, ludi & joci
    Licentioſæ Gratiæ.
I, perge ſtulte: ſequere veſanum impetum.
    Qui te præibat gratiâ,
Sequetur ultor fulmine exerto DEUS.
    Meretur ille fulmina,
Qui gratiam proculcat. At avitam tamen
    Piſcare ponto gloriam,
Tuosque præda veniat in caſſes honor,
    Et læna Cypridis gratia,
Et quidquid auri gleba Pactoli rotat,
    Erythra quidquid excoquit.

Ubi te beatum dixeris, ibi miſer eris.
  Horâ frueris gaudiis,
Totâ perennitate ſupplicium dabis.
  Inſtabit hora, quæ tuæ
Vitæ theatrum claudet, & ſcenam exuet.
  Quæ tunc feres inanibus
Lamenta ventis? Noſtra, tunc dices, procul
  Erravit à portu ratis.
O ſæva cordis vipera, voluptas! mei
  Stygium ô venenum pectoris,
Doloſa Circe! peſtilens Siren! Charis
  Inamœna proles Tartari!
Ductus per omnes animus errorum vias,
  Ubi medullas gaudii
Quæſiit anhelus, reperit exitium. Cadunt
  Unius horæ lilia,
Unius horæ gloria emarcet, roſa:
  Brevique tumulo clauditur
Deluſa ſpes honoris, & famæ ambitus.
  Fictis fruebar gaudiis;
Vero dolore lancinor: quamque ambii
  Illimis undæ guttulam,
Reperire nunquam licuit. In votis ſtetit
  Exacta vitæ linea;
Res eſt negata ſemper. Ambivi omnia,
  Nihilque tenui. Finis eſt,
Ubi nec initium gaudii inventum eſt. Perit
  Mihi reſque, ſpeſque, & omnia.
O ſtulta vota! Melius, ah! melius foret
  Latuiſſe parvo ſub lare,
Tenui ſalino, & fontis illimi vado
  Jugulaſſe latrantem famem,

Sitim-

Sitimque; & atræ pecudis exuviis, rei
Texiſſe membra corporis.
Sic flebis olim. at ſerò. Contemptum bonum
Lamenta ſera provocat.
Ergo beatus, qui procul negotiis,
Solutus omni turbine;
Nec ſæva ponti jurgia expertus, ſuo
Vacare potuit otio!
Quamvis latenti vita per tacitum fluat,
Letho obviabit tutior.

IN OBSTINATOS DEI CONTEMPTORES.

ODE XXIII.

DIRÆ.

Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum --- & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. SAP. 5.

RIgidi furores æmulor vates DEI:
Quæque impiato vertici
Paravit ille fulmina & pœnas, precor
Licet vovere, quod DEUS
Patrare ſtatuit. Quando durato imminet
Timendus æther vertici,
Id velle, quod vult Numen, in laudem venit.
Diras ſceleſtis occino:
Non quos patrati criminis pudor tenet,
Erraſſe quosvé pœnitet;
Sed quos aduſque funus, ac ultra ſuum

Vitæ

Vitæ cadentis terminum
Ire obſtinato pectore inhoneſtam juvat
Sceleris pudendi ſemitam.
In hos ſeverùm detono. Audite ô Stygis
Umbris ſepulti carceres,
Funeſta regna Tartari, & Averni lacus
Piceo liquati vortice,
Lethæa ſtagna, Manium ſontes lares,
Horrenda noctis patria!
Huc quidquid illætabile, & quidquid ferum,
Et quidquid implacabile
Orcus profundo genuit in flammas ſatu,
Orbi obſtinato immittite.
Huc huc cruentum dira Furiarum cohors
Librate flagrum, huc vindices
Tædas rotate; huc anguibus ſævas manus
In pervicacem vertite.
Quem non benignus Numinis traxit favor,
Hunc vindicantis conterat
Severa Nemeſis. Tenuit iratum hactenus
Suſpenſa fulmen dextera,
Ultioque lenta laneo repſit pede.
Nunc tela toto pondere
Librentur axe; propera vindicta urgeat,
Capitique ſemper vindice
Inſtet lacerto, funus extremum improbo
Animo datura. Si tamen
Adhuc benignus protrahat vitam polus,
Et pertinace crimine
Laceſſere aſtra pergat; in tenebras eat
Revolutus axe Cynthius,
Aut ſe caducis curribus mergat Tago

Nunquam

Nunquam miniſtram crimini
Facem daturus: Luna præcipites polo
Bigas revolvat: Sidera
Benigna nunquam luceant; auræ meris
Paveant Cometis: impio
Ferale ſolùm fulminis telum micet.
Si per remotos inſtitor
Fluctus natantis urgeat molem ratis
Avarus auri; tortili
Giro charybdis obviet, & hiantem ſinum
Pinu voratâ adimpleat;
Scylla allatratu terreat, fluctus agant
Mixtum procellis; Cyanea &
Capharea juga navis impacta in latus
Compage ſolvant: Circius
Apeliotæ pugnet, & Boreas Noto,
Mediâque pugnâ naufragus
Deſævienti Nereo in prædam cadat.
Si flava campis erigat
Ceres ariſtas; grandine Orion premat,
Exurat igne Sirius,
Vel Mars ſuperbo calce depoſitam terat.
In horreum Dieſpiter
Repetita tela nubibus ruptis agat.
Si pampinis circumſita
Vireat corona collium, & vites gravi
Spe nectaris corrideant;
Pluviis inundet Jupiter nimbis ſolum,
Nubifragiisque diluat;
Vel ſub calente Sirii ardentis face
Irrumpat Urſa Parrhaſis,
Et quam virentes nectaris vites dabant,

Pruina

Pruina ſpem præmordeat,
Si gravida menſa dapibus aggeſtis gemat,
Natentque Iaccho pocula ;
Cibus in chelydros abeat, in glaciem merum
In viva utrumque toxica :
Mediusque dapibus Tantalus fameat novus,
Interque ſitiat pocula ;
Aut æſtuantem toxico ſerpentium
Famem ſitimque temperet.
Nunquam ſerenus ingruat capiti dies,
Aut radius omnis flamma ſit.
Nunquam benignæ filius noctis ſopor
Indulgeatur corpori :
Quies rogetur ſemper, at ſemper tamen
Feſſis negetur artubus.
Soboles parentem laniet, & ſobolem pater
Trucidet ; ipſe carnifex.
Exaſperata jurgiis conjux viro
Sævo ungue lumen eruat ;
Ædesque lite conjugum ſemper ſonent,
Aut filiorum cœdibus.
Elementa rumpant fœdera. excuſſum ſolum
Immugiente viſcere
Lapſus minetur turrium, & dubium pedem
Fugiat: hiantis faucibus
Diffugiat auræ ſpiritus: flammæ latus
Totumque corpus ambiant.
Quocunque ſpectat, Tartari larvæ obvient :
Quodcumque tangit, ſulphuris
Ardore cruciet : quidquid auditu capit,
Tonitrua ſint, vel fulmina :
Quodcunque nari pabulum quærit, magis

Stygiâ mephiti fœteat.
Hæc ſi volantem ſcelera non ſiſtunt, poteſt
Orco ſacrari victima.
Meruit perire, quiſquis in DEUM reus
Abutitur clementiâ,
Sceleraque ſceleribus addit, & nunquam ſatur
Gaudet DEUM contemnere.
Nihil illi amœnum fluere, vel lætum poteſt,
Felicitatis unicam
Quicunque venam obturat, & veram ſibi
Claudit bonorum originem.

AD JESUM CRUCIFIXUM.

ODE XXIV.

Poëtæ lamentatio.

TUo advolutus Numini amplector crucem,
Quam lividis hinc brachiis,
Atque inde dimetiris ô animæ anima,
Meique amoris ô amor,
Moriture JESU! Nullus hinc memet furor
Inſanientium hoſtium, aut
Crudelitatis barbaræ, nullæ minæ,
Nullus revellet impetus.
Non feſta mundi pompa, non Cypridis joci,
Non blandientes Gratiæ.
Hîc oſcitantes vulnerum plagas colo,
Hîc ſanguinem deoſculor.
Non tibi, ſacrilege proditor, latro DEI;
Et innocentis carnifex;
Neque tibi, turba perfida, indignor; mei

Quæ

Quæ lancinaſti Numinis
Manus, pedes, latusque; quæ corpus flagris
Delineaſti immitibus.
Si quæ repoſta eſt pœna latroni impio,
Hæc pœna debita eſt mihi.
Ego tigris illa Caſpia, ego ferus leo,
Ego pardus ille barbarus,
Qui tibi probroſo vulnere è venis ſacrum
Suxi cruentus ſanguinem:
Ego aſperavi milites; ego addidi
Rigido metallum pectori,
Ut per flagella, & verberum pondus grave
Animam latentem quærerent
Aduſque fibras oſſium. Ego gravem tuis
Aculeum ſpinis dedi,
Quæ foſſa tibi per tempora in cerebri trahunt
Imos receſſus vulnera.
Ego illa Lypara infauſta, quæ clavos tuis
Manibus trabales prodidi,
Quâ riguit haſta, pectoris itura in ſinum.
Ego crudus ille carnifex,
Qui fabricavi funeri extremo crucem;
Qui te peremi. Siſtor hîc
Acciduus orno, pendulo ſupplex Deo.
At heu! loquuntur vulnera,
Vetusque crimen exprobrant: Hîc tu impie
Sperabis indulgentiam?
Ubi manifeſtum ſceleris indicium tui
Per tot pateſcit vulnera?
Tu clariorem Solibus vultum, & oculos
Sereniores ſidere
Sputo impiaſti; tu flagellorum gravi

Pon-

Pondere oneraſti tergora:
Tu mihi manus, pedesque terebraſti; latus
Tu pertudiſti lanceâ.
Per te, ſacrilege, frontis innubis dies
Aculeis inhorruit.
Et impie audes (prô nefas!) audes tuo
Sperare veniam crimini?
Audeo, benigne CHRISTE! Non eſt hoc reis
Tribunal implacabile:
Tribunal eſt clementiæ. Ut cauſæ meæ
Hîc conſulas, ſententiam
In te tuliſti mortis Judex licet
Sedeas, patrem non exuis:
Clementiâque & gratiâ enervas gravem
Severitatis dexteram.
Non, non recedam. Stat mori tecum, DEUS.
Arbòre ſub iſta ſpiritum
Liceat ſupremum fundere, & amatæ crucis
Gratis mori in complexibus.

AD BEATISS. VIRGINEM MARIAM.

ODE XXV.

Quod Eva triſtis abſtulit, tu reddis almo germine.

SIc eſt: Tonantis gratia è ſpinis roſas,
Gemmasque de luto trahit.
Ubi prius hominis grande abundavit ſcelus,
Nunc ſuperabundat gratia.
De nubilo ſerenitas, de turbido

Amœnitas, de triſtibus
Jucunditas, de turpibus formoſitas,
De lugubri felicitas,
De flebili feſtivitas, de funere
Amœna vita ducitur.
O triſte portentum Eva, morientûm parens!
Quæ Gratiarum patriam
Serpentis antrum fecit, & ſcelere prius
Suos peremit, quàm in diem
Eniteretur filios; prius dedit
Triſtia ſepulchro funera,
Quàm amata Matri gaudia. Geminum ſuis
Dedit illa damnum poſteris;
Artem pudendam criminum, atq; animæ necem.
Mores parentum in filios
Facili meatu tranſeunt. Eſſe impios
Docuit parens nos impia, &
DEO rebellis; quando prohibitam patri
Porrexit eſcam. Scilicet
Ab hoc malum omne prodiit malo: gula
Hæc degulavit omnia
Felicitatis omina. Hinc morbi, hinc lues,
Serieſque denſa peſtium;
Hinc ſæva bella, pectorum hinc tortor metus,
Vermisque acerbus mentium.
At tu innocente purior VIRGO die,
Aſtrisque claris clarior,
Viventiumque Mater, & Vitæ parens,
Felicitate duplici
Gemina rependis damna, quæ tulit prior.
Exempla morum candida
Sunt noſtra vitæ regula. Antiquo licet

Sis genita Patrum ſtemmate,
Quod impiavit Eva; tu prodis tamen
ROSA, ſine ſpina; LILIUM,
Sed abſque dumo; LUNA, ſed ſine macula;
Sine nube SOL puriſſimus.
Tu, Diva, FRUCTUM pendis in vitam novam,
Cujus medulla nectar eſt;
Quo vita conſtat, quo SALUS MUNDI latet;
Quem & eſurire gaudium eſt,
Summa eſt edere felicitas. Sic fœnore,
Quod Eva triſtis abſtulit,
Majore, VIRGO, reddis. Et te non amem?
Te, VIRGO, ſi non diligam,
Peream: Acheronti victima ſuprema immoler,
Te, VIRGO, ſi non diligam.

AD FLORINUM ROSIUM, JUVENEM NOBILEM, ſed inertem.

ODE XXVI.

Ut depoſita ſegnitie, in ſeria incumbat.

FLORINE, quantùm gratiam ingenii vales,
Idoneique pectoris
Prævertis alios dotibus; tantùm jaces
Ridendus aliis otio
Inertis animi. Nemo, ſi par ſit tuæ
Capacitati induſtria,
Feliciore ſacra Muſarum juga,
Doctoque cultam Appollini
Curſu tenebit patriam: nemo prior

Ad erudita frontium
Præmia volabit. Tu potes, velis modò,
Omnes mereri laureas,
Omnes tenere: tu potes gratæ omnia
Haurire Suadæ flumina,
Et nunc liquentis eloquî placido vehi
Blandus ſuſurro; nunc rapi
Torrentis inſtar impetu. Quidquid Stoa,
Stagyra quidquid occulit,
Tu trahere pulchram mentis in lucem potes,
Et eminentem gloriæ
Apicem involare: quamque Majores tuo
Laborioſi ſtemmati
Famam parârunt, laude tu potes nova
Illuſtriorem reddere.
Peracta res eſt, ſi velis. Sed te ſtupor,
Inersque mentis otium,
Segnisque marcor, languidus ſtringit ſopor,
Animique turpe vinculum,
Ligat veternus. Effluunt horæ & dies,
Menſes & anni; nil agis.
FLORINE; non hoc vivere eſt: hoc eſt mori.
Probatur actionibus,
Non languido vita otio. Qui nil agit,
FLORINE, nil agit benè.
Nec continere dexteram immunem mali
Tibi ſatis eſſe exiſtima.
Ipſum bonum negligere eſt ingens malum.
Labuntur anni volucribus
Prætervoluti curſibus; melior abit
Ætas, fugacis temporis
Secuta pennas; nec pedem curat retro
Flexiſſe,

Flexiſſe, vel meantium
Curſum vetare temporum; nec ſe prece
Horæ impediri ſuſtinent.
Qualis abeuntem fiſtulâ incaſſum vocat
Bubulcus Iſtrum: Surdus eſt;
Undamque ſemper unda poſterior premit,
Secumque naves abripit:
Talis abeuntis temporis rapax meat
Fluxus, teneri neſcius;
Secumque vitæ floridam partem trahit
Idoneam laboribus.
FLORINE, quando bruma ſpargetur comis,
Nivesque ſenii tempora
Matura ſtringent; quando laſſatos tremor
Senilis artus diruet,
Propiorque morti funeris ſummam tui
Gemes adeſſe lineam,
An tunc placebunt otio exacti dies,
Et vita trita inertiâ?
Sapientis eſt nunc facere, quod factum voles.
Antè inchoandum eſt: quàm exitus
Te fortè præceps urgeat. Veſania eſt
Incipere velle, terminus
Cùm jam ſupremus inſtat. Horam pondera,
FLORINE, præſentem, & trucem
Aſſueſce vultum cernere laboris, tibi
Dum vernat ore floridus
Vigor juventæ. Sic ſtatuit olim DEUS,
Senii ut quies laboribus
Juventæ ematur; dumque ferveſcit calor,
Caleant negotia ad otium.

AD D. BALTHASAREM PFRVNDT.

ODE XXVII.

Recurrente ejus natali felix horoſcopus inquiritur.

ASſueta labi ſidera
Verſatileſque ſtellæ,
Meantiumque temporum
Fugax viciſſitudo,
Donate ſtellis otium
Horoſcopis quietem.
Audimur! At quæ me tenet
Hîc regio? quod mapale?
Quæ ſcena me? Cœleſtium
Hic ſe chorea vocum
Effundit; & tenellulus
Fœno reclinis infans
Vagit, gemitque frigidos
Ad Circii furores.
Hîc ſtella tectis incubat,
Ridetque, nictitatque;
Nec ſe movet, nec ſe ſinit
Rapi volante cœlo.
Agnoſco fata ſiderum,
Horoſcopi favorem.
Tibi ſtella ſervit BALTHASAR,
Tuoſque ſignat annos.
Dum ſtat moveri neſcia,
Tuos moratur annos.

Stat

Stat illa, vita ſtat tua
Oblita provolare.
O fauſta ſideratio!
O ſideris favores!
Hoc naſceris tu ſidere,
Quo CHRISTUS ipſe natus.
I, quære nunc horoſcopum
Fauſtumque candidumque,
Quo pendeat felicitas,
Quo fauſtitas ligetur:
Horoſcopus natalibus
Idem eſt tuis, DEIQUE.
Horoſcopis expendere
Si fas tuos ſit annos;
Tuos DEI annis, BALTHASAR,
Dimetiemur annos.

AD NOBILEM JUVENTUTEM.

ODE XXVIII.

In funere Illuſtriſſimi Adoleſcentis IGNATII COMITIS TRAUTHSON, *&c.*

LUgete tandem Gratiæ, aſſuetæ hactenus
Ridere Divæ. Præficas
Hoc funus alias non amat. Demarcuit
Flos ille, veſtra gloria,
IGNATIUS demarcuit, veſter labor:
In cujus omnes Numina
Fudêre pectus gratia; clarum genus
Ductum vetuſto ab Inacho,

Cum genere genium nobilem, ac Avis parem,
Ad magna natum, Palladi
Martique quondam idoneum; ſago & togâ
Rei labantis publicæ
Grave ſubiturum pondus; ingenium calens
Capaxque rerum; fervidum
Honeſti amorem; calcar ad bonum, ſitim
Virtutis æquè ac gloriæ.
Cûi vos in ora nectar, in genas roſas,
In labra dediſtis purpuram:
Cûi cœlum in oculos ſidera, in frontem aureæ
Serenitatis lineas,
Pulchrique radios Solis in crines dedit.
O cruda Mors! quam flectere
Nequiêre tantæ gratiæ, tantus decor
Animi movere. Cœca Mors!
Quæ non vides hoc funere ingentem patris
Et ſanguinis ſpem occumbere,
Columenque magnæ ſtirpis, & quondam ſui
Magnam columnam ſtemmatis.
Iniqua Mors! quæ flore præcerpto invides
Maturitatem fructui.
At vos, benignis Gratiis nati, quibus
Adhuc juventâ bulliens
Sanguis; parentum vota, ſpes generis, dies
Et longa ſpondent ſæcula,
Credite juventæ parciùs: Flores cadunt,
Et ante fructum defluunt.
Vernare multis licuit; at paucis dies
Ducere perennes. Quò bona
Plura numeratis, hòc magis cauti bona
Tenete. Paucis contigit

Felici-

Felicitatis ſæculum. Magna & diu
Fortuna rarò conſtitit.
Quodcunque fata patitur, & mori poteſt,
Hodie obiturum credite.

AD PHILIPPUM TARINUM.

ODE XXIX.

Ut verum gaudium non in hujus vitæ bonis, ſed in ſolo DEO *quærat.*

VEnamur avidi gaudia; & nuſquam obviat
Deſiderata fauſtitas.
Adoleſcimus, ſeneſcimus; & umbris meris
Cupiditatem paſcimus.
Sublime quiddam eſt gaudium: mentis quies,
Limesque ſollicitudinum,
Cupiditatis funus, amplexus boni,
Et mors avaræ indaginis,
Fruentis unicum SATIS. Malè hoc tibi,
PHILIPPE, fingis atria
Fumoſa ſubter gloriæ, & vacui graves
Arcus honoris degere,
Malè fingis inter gemmea undantis Tagi
Inambulare flumina,
Interque vitreos Cypridis enervis jocos,
Quos una confringet dies.
Divinitatis regulâ fabricat mens
Solo repletur Numine.
Quæcunque ſpectas, quæque dignaris boni
Nomine vocare, ſurrigant

Tume-

Tumefacta frontem, ſpecia dilatent ſui,
  Quantumque poſſunt, occupent:
Nullâ tumoris mole replebunt ſatis
  Capacitatem pectoris.
Suo Gigantis calceum manus pede
  Non æquat : una guttula
Non implet evagantis Oceani alveum.
  Quæcunque adoras, parva ſunt,
Si mentis amplæ nobilem expandas ſinum.
  Cupiditatum terminus
Immenſa res eſt; quæ meretur, & poteſt,
  Et ſola debet appeti.
Per rerum oberras angulos, ſemper vagus,
  Nunquam reperturus bonum;
Verique fontem gaudii. Quæ tu putas
  Tua otia, tua gaudia;
Via ſunt ad ipſum gaudium; non gaudii
  Materia digna; non quies.
Hinc ambientem lancinant. laſſant, coquunt,
  Et alterius urunt ſiti.
Quod reſtat illud occupa inſtanti pede;
  Et ſic, PHILIPPE, per viam
Decurre, ſemper terminum ut alium ſcias
  Reſtare, quò gradum urgeas.

A D

AD CAROLUM RINOTIVM.

ODE XXX.

Expectare ſiniſtram ſortem, præſentiſſimum eſt adversùs ejus vires remedium.

SOrtem faventem metue, ferientis doma
Tragicum furorem, CAROLE.
Si blandientes proſperæ caveas dolos,
Nunquam timebis aſperam.
Quà ridibunda nictat, hàc ferit gravis
Fortuna. Quando te ſinu
Secunda portat, prævide inſtantem gravi
Caſum ruinâ. Quando pax
Serena blandos explicat frontis jocos,
Tunc bella propiùs intonant.
Quando modeſto Nereus ſomno jacet,
Tunc moliuntur prælia
Boreas Notusque, & omnis Æolii ſpecus
Incola refracto carcere.
Vis infecundam vincere? expecta malam,
Quoties ſecunda fulſerit.
Nihil ſiniſtrum occurrit expectantibus.
Hæc vita ſtadium eſt: vulnera
Plagasque mente concipe. In ſtadio æmula
Fortuna dextram conſerit.
Si ſævientis tela prævideas, cadit
Inanis ira verberis.
Plerumque graviùs vulnerat, quidquid novum (eſt,
Et imparatis advenit.

Sic ergo ſorti, CAROLE, inſulta: ſuas
  Siniſtra vires colligit?
Expecto. Adornat ſæva torquendi modos?
  Expecto. Spicula undique,
Undique pericla glomerat? Expecto. Patrum
  Inſtat opulentis prædiis?
Expecto. Patrimonium, atque arcas graves
  Auro ſepulto concutit?
Expecto. Partæ gloriæ Atavorum imminet?
  Expecto. Membra corporis
Invadet ægritudine? Expecto. Suis
  Artus revellet artubus?
Expecto. Quidquid ſæviens furor poteſt,
  Et quidquid inſolentia,
Prævideo cautus. Sic metum facile opprimes,
  Dum adhuc minatur eminùs:
Sic & dolorem comprimes, dum jam propè
  Sortis ferit veſania.
Quod ſi doloſa parcat, & nullum tibi
  Fortuna vulnus adferat;
Nihil inde perdes: facilè jacturam mali
  Patieris. Imò purius
Emerget inde gaudium, ſi quæ metus
  Prudens notabat vulnera,
Suſpendat ira ſortis, & mentem arduam
  Non audeant accedere.

A. D.

Ad Auguſtiſſimum Romanorum
Imperatorem

LEOPOLDUM.

ODE XXXI.

Ut nullum, aut non diuturnum debet eſſe malorum Principum imperium; ſic ſolùm, ac diuturnum debet eſſe bonorum.

STROPHE.

CAdat probroſo victima funeri,
Qui turpi diadema
Et frontis jubar aureæ
Fœdare gaudet crimine.
Crudelitatis ſceptra rapacius
Funus extinguat, celerique telo
Mors occupet ferociam.
Par eſt perire ſceptra, quæ malè imperant.
Moribus interitum
Regum turpis inertia
Adducit: feritas Principis, otia
Turbat publica civium:
Fœda libido
Cæſaris, ingenui leges extinguit honeſti.
Sit ergo nullum, vel breve imperium mali.

ANTISTROPHE.

Vivat ſuperſtes gloria ſæculis
Incorrupta futuris
Regum; quos populis favor
Commendat, & clementia.

Benignitatis ſceptra ſecundius
Protrahunt ævum, cupidumque lenta
Subeant olympum ſidera.
Durare par eſt ſceptra, quæ benè imperant.
Mores urbium alit
Regis grata benignitas;
Et pacis ſtudium publica civium
Servat munera in otio.
Regis honeſtas
Eſt populis frænum, pulchrumque infundit amo-
Sit ergo longum Regis imperium probi. (rem.

STASIMUS.

Talis Cæſareo caput
Sole ſuccinctus, LEOPOLDE, fulges,
Proculque ſubmoto furore
Impurique Cupidinis
Ardoribus, aureûm
Diem ſerenis vultibus recludis.
Hinc lenta ſceptris ſæcula defluent;
Tardumque meritis ſidus accedes polis.
Ut malus Imperium
Rex longum habere non poteſt:
Sic claudi imperium temporis orbitâ
Non patitur breviore virtus.

CAR-

CARMEN SÆCULARE
Ad Collegium Viennenſe Societatis JESU.

ODE XXXII.

Cùm Societas JESU *à ſuo in urbem Viennenſem adventu annum centeſimum ageret.*

IMperatorum labor, eruditæ
Palladis caſtrum, celebris bonarum
Artium nutrix, ſapientiæque
Prodiga Mater,
O domus! PRIMUS cui FERDINANDUS
Incolas legit; cui FERDINANDUS
ALTER æternum decus arrogavit,
TERTIUS auxit;
Sæculum expleſti. Senior videri
Si potes, debes melior videri.
Vera nam ſemper fugiente creſcit
Tempore virtus.
Purus ut Titan medias in umbras
Viſa prodire es: temulenta namque
*H*æreſis Falſo, decuplâ tegebat
Nocte Viennam.
Hic tibi primi ſteterunt labores,
Hæreſes ſtricto laniare telo,
Frangere errores, decus arrogare
Numinis aris.
Vidimus, quantas animoſus ille
Pectoris flammas glomerabat ignis,

Certus umbroſam irradiare ſacrâ
Luce Viennam.
Vidimus, quantâ furibunda traxit
Caſtra Lutherus rabie: nec inde
Vis tibi fracta eſt animi, nec altæ
Gloria mentis.
Præliis crevit benè deſtinatis
Fervor; ardorem dedit ipſa pugna.
Qui ſtetit contra, nova ſuaſit arma,
Hoſtis, & iras.
Concidit fauſto labefacta bello
Hæreſis: circùm jacuêre longo
Ordine errores, vitioſa fœdi
Semina partus.
Quodque bellantûm ſtetit acre ſævo
Agmen in campo, poſuit tumorem;
Deque porrectâ cecidêre dura
Cornua fronte.
Sparſa dehinc virtus, niveæque candor
Mentis interpres, ſtudioſa legum
Cura, formoſus pudor, & modeſti
Gratia vultus:
Veritas nudâ genuina fronte,
Neſcius fuci color Æquitatis,
Aurei mores, veterumque plana
Orbita Patrum.
Integer vitæ tenor, otiumque
Nil procelloſi metuens tumultus,
Civium concors ſtudium, quietæ
Pacis amores.
Hinc fugam verſo rapuêre tergo
Ira, mordaci rabioſa dente,

Sæva

Sæva libertas, juvenum feroce
Vecta calore:
Invidus livor, nimium ſecundis
Anxius rebus, furor entheatus
Pectorum, & recti timor, & doloſà
Fronte Cupido:
Tantali nunquam ſatiatus auri
Æſtus affluxu, patriique gurges
Luxus argenti, nimiumque avarus
Numinis ardor.
Quidquid & diro vitioſa partu
Stagna Cocyti genuêre, matre
Quidquid effudit Phlegeton Megærâ
Noctis ab umbris.
Iſta nativo ſpecioſa cultu
Svada ſuggeſſit populo, & triumphos
Hæreſi fractâ tulit eloquentis
Gratia linguæ.
At per exemplum graviùs locuta
Corda ſtrinxiſti, validisque factis
Verba ſupplêſti, & docuiſti agendo
Regulam agendi.
Civium aſſenſum rapuêre verba:
Facta conſenſus pariter videntis
Urbis excepit. Graviùs per acta
Svada perorat.
Tertius doctæ ſtudium Minervæ
Eſt labor. Quantâ jacuêre nocte
Conditæ Muſæ prius, & ſepultus
Phœbus in umbris!
Carminum Præſes reſupina Clio
Egit ignavas ſine luce noctes

 Bar-

Barbito abjecto, cytharæque fractis
Languida nervis.
Hippocrenæi nihil hic ſuſurri
Virgines inter reſonabat undas;
Pegaſi fontes taciturna limo
Sponda premebat.
Svada, formoſum lacerata vultum,
Flebat ornatum periiſſe frontis,
Flumen exhauſtum, viduoſque florum
Munere campos.
Quin Cleanthæis inimica pubes
Noctibus: doctæ calidam Stagyræ
Porticum exoſa, indomiti colebat
Jurgia Bacchi.
Socrates exul gemuit ſeverâ
Sede, nec doctâ crepuêre tuſſe
Exedræ, nec ſe Stoa literatis
Miſcuit armis.
Te Duce Aſcrææ rediêre lauri,
Rurſus & purâ fluit amnis undâ,
Ungulæ proles; liquidoque manat
Caſtalis auro.
Rurſus auguſto tonat ore Svada;
Blanda vel Siren, ſimulare ludos
Docta, mollitis hominum gubernat
Corda lupatis.
Rurſus amiſſo ſedet in theatro
Rex Stagyræus, ſtudioſa circùm
Quem cohors audit, numeroque vaſtam
Implet arenam.
Angelus Doctor, duce te, profundas
Excutit noctes, iterumque vero

Exco-

Excolit mentes, acuitque pulchra in
Jurgia pubem.
O Domus! centum numeroſa laudum
Dux, & inventrix opulenta veri,
Norma virtutum, ſcelerumque vindex,
Terror Averni:
Laudis obtentæ memor uſque creſce:
Calcar ad laudes tua ſit tibi laus.
Prima laus laudi ſolet inſequenti
Addere calcar.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google